...arolina.

Torunensis Coll. S. J. Planta in familiarem, honorum, trophaeorum sylvam excrescens.

1010
930
— 80
40.

PLANTA
In
FAMILIARUM, HONORUM, TROPHÆORUM
SYLVAM
Excreſcens.
A Celſiſſima Stirpe DAMBSCIANA
Ad Celſiſſimum SRZENIAVÆ Altum
Protenſa:
Ad Hymenæi tripudia, ut ad Amphionis Cytharam Thebæ;
Inter
ILLUSTRISSIMUM
EXCELLENTISSIMUM DOMINUM D.

ANTONINUM,
Comitem in Lubraniec
DAMBSKI
Junovladislavienſem Capitaneum,
S. R. M. & Reipublicæ Rothmagiſtrum,
&
CELSISSIMAM DOMINAM

D. ANNAM
CAROLINAM
LUBOMIRSKA,
S. R. I. Principem, Palatinidem Sandomirienſem,
Ad Sidera ſe attollens,
Applaudente Collegio DAMBSCIANO *Torunenſi*
Societatis JESU,
A decorata Regis Sæculorum Purpurâ Arbore
Anno M. DCC. XXXII.

932

O dilecta Diis **ARBOR!**

Perpetuos sperare licet Tibi Frondis Honores.

Martialis.

Conjunctis sociatur nexibus **ARBOR.**

Ennodius.

ILLUSTRISSIMI
CELSISSIMI
NEO-SPONSI.

NUnquam in conſpectum venire Genialis pompæ Veſtræ, quam tot Paranymphi Dii, Pronubæque Deæ adornant, auſa fuiſſet Suada noſtra; nisì illam Fundatoriæ Domûs Hymen in partem grati obſequii, ad dilaudandam Conjugialis Feſti magnificentiam evocâſſet. Erubuiſſet incomptè ſoluta dictio ante DĄMBSCIANAS, LUBOMIRIANASque comparere purpuras: quas non Gordius incultô nodô, ſed Ducum Fortuna, Princeps virtus, & amor, nobiliſſimo nexu invicem adſtrinxêre. Non aliter enim, ILLUSTRISSIME NEO-SPONSE, quàm Ducis SEVERIÆ DĄMBSCII Clariſſimus Nepos, altíque Sanguinis trabeatus Hæres, in Ducalis LUBOMIRIANÆ fœdera Proſapiæ immigrâſti. Expaviſſet leve Minervæ folium, ſi explicatum in encomia, ipſum adſterni deberet DĄMBSCIORUM Arbori, planè Honorum, & Meritorum Sylvæ; riſui eſſet Vobis Oratorii gutta eloquii, ſi ſola præſumeret immenſo SRZENIAVÆ alto, aut fortu-

934 *tunarum, dignitatúmque affundi Oceano. Verùm ut ad Majestatem utriusque Stirpis, ad lætitiæ dignitatem, ad Conjugum vota, in tanto Hymenæi apparatu, sui secura, nec ingrata prodiret facundia, Vestra effecit benevolentia: cui* ILLUSTRISSIME ANTONINE, DAMBSCIANA *præclarè facta, favorésque Tuos Capitaneali adjudicâsti sententia; & Princeps* ANNA *omnes adjecisti gratias. Hinc periodicos Oratoris ambitus, melior, quia ad nuptiales tædas, in tanta Nominum, Prosapiarúmque serenitate, in Vestram felicitatem perspicax Fortuna, orbe integro, qui in Vestras influxit Familias, ampliabit. Paginæ omnes, ut pallorem & fucum exuant, conscribentur murice, vel Tyrio* SRZENIAVÆ *fluctu, aut Principe colore, quo florentissima utriusque Conjugis Domus, quo flos ævi Vestri, Connubiales planè anni, quo pulcherrimarum genæ virtutum depinguntur. Admittite igitur tantum nitoris habituram Panegyrim, quantum à Vestri Serenitate Hymenæi, à Celsissimarum Stirpium claritudine hauserit, fortunatissimi Conjuges. Jam cum magno utriusque Generi, Famæ, Honoribus, meritis, non parem adverteritis eloquentiam; saltèm adstruite laudem à materia. Vos Ipsos, quibus nihil pretiosius habet stylus, æstimate. Legite Nomina, quæ sociavit Virtus, & Fortuna: Cælúmque primis in Republica Honoribus devovit, ut tam pulchro fœderi subscribant. Ità quoque precatur*

FUNDATORIO SANGUINI

Devinctissimum Collegium
DAMBSCIANUM TORUNENSE
Societatis JESU.

Ce-

CEdite Mæonio cantati carmine saltus!
Stelliferô quos turba globô diffusa Deorum,
Empyreúsq; Pater, delapsum Sidus Olympo
Sylvicolis charum Nymphis, castæque Dianæ,
Reddidit illustres: ubi Nati luce jugales
Accensas Fratri properavit tradere tædas,
Neptuno jungens æterno fœdere Thetyn.
Cedite! GODZIEMBÆ sic mandat Hymen; pavet omnis
DODONÆ vertex, monstrosáque Numina nutant;
Innocuis flagrare focis ubi DAMBSCIA sylva
Cœpit, & illustres longo splendescere Ceras
Ordine fecit Amor, SRZENIAVÆ littore sacra
Dum sibi pacta fides, desponsáque Filia Ponti
A trabeis rubei, vehitur quô Martia Classis,
Et fortunatæ rutilo cum Vellere puppes;
Celsa quibus PINUS stat DAMBSCIA portus Honoris.
Huc confluxerunt! Divûm pars prima Senatûs,
Indè Joves, Phœbúsque Parens, hinc pronuba Juno,
Castalides Cytharam, Pæsti sub flamine blando
In plausus animant, decernit tempora SPONSIS
Divite sub PINU, sub Principe lætior amne,
Aurea Saturnus. Tum falci multa minatur:
Nè Stirpi noceat longævæ; SÆCULA VINCAT.

Majeſtas, & omina Celſiſſimi Hymenæi ex Conjunctione Familiarum.

TAnta eſt Hymenæi Veſtri Majeſtas, CELSISSIMI NEO-SPONSI, ut illam niſì Ducum Clavæ, Honorarii Scipiones, Conſularésq; Regni Faſces, & propè Sceptra valeant metiri. Quanta ſit? qui ſcrutari præſumpſerit, aut in faſtigium eluctari præaltæ Conſanguinitatum Arboris, ſummíſque Patriæ Sideribus conterminæ DAMBSCIANÆ Stirpis; aut emenſo LUBOMIRSCIANI SRZENIAVÆ, quaſi Purpurei Maris Alto, ad Fortunarum, Dignitatúmque omnium Portum pertingere, utrique Proſapiæ hæreditarium, enitatur; tunc equidem, velut è ſpecula, Nuptialis Pompæ admiratione defixus, videbit, niſì fortè intuentem fulgor lucis inſolitæ retundat, prima Orbis Lechici Nomina & Numina Connubialis Theatri impleviſſe Magnitudinem; & inter accenſas ILLUSTRISSIMÆ PINUS tædas, circumquaque Præſulum radiare Tiaras, Palatinas Curules, Ducum Mitras, Imperatoria ſigna, & innumera Honorum laticlavia, ſera à ſuis & Patriæ Patribus, ad clariſſimos Nepotes derivatione, traductorum. Cernet hìc, Gentilitiam DAMBSCIANÆ Propaginis Arborem, Principes Familias complexam, jam planè æternitate, tamen abſque conſeneſcentis gloriæ ruga, ſexcenta vincentem ſæcula, in florentiſſima ſinuari Hymenæi ſerta, flecti in triumphales arcus, erigi in trophæa, ſuccreſcere in palmas, devincto æquè ac Victori innocuo ſponſorum amori. Illic verò profundi gemmas demirabitur, ad Coronæ decus; uniones, ad Flammei Nuptialis ornamentum, non exigui Hydaſpis margine, ſed latiſſimo,

ut

ùt Erithræi alveo immensi SRZENIAVÆ, qui Romano à Tyberi de Cæsarum fontibus, Europæ, Asiæque tractu in Lechiæ campos ante septingenta defluxit sæcula. Spectabit Purpuratô LUBOMIRSCIANI, id est: Imperatorii DRUSORUM sanguinis Oceanô, Principum Fortunam, ùt olim Cæsaris, in altum gloriæ provehi, felicíúsque Palinuro, explicatis in vela trabeis, clavum tenente Honore, Celsissimo Nomini juratissimo, antennæ locô defixa GODZIEMBÆ Arbore, opum, titulorúmque Onerariam, ad bonæ & magnæ in Republica Spei, felicitatúmque omnium deduci Promontorium. Tunc denique tantæ Majestatis Hymenæi Vestri, Celsissimi NEO-SPONSI, scrutator oculus discet, experimentô ad invidiam sæculorum commendatissimô, & quæ didicerit, ad vocalis Famæ tubam promulgabit Universo; iterum Augustissima à retroactis sæculis revehi Connubia! Martem nempe Bellonæ, Phœbum Cynthiæ, Augustum Liviæ, Honorium Serenæ, id est: ANTONINUM nupsisse CAROLINÆ, DAMBSCIUM LUBOMIRSCIÆ. O par congruentissimo junctum fœdere! Sponsus, de Principe Matre, RADIVILIA! Sponsa, de Principe Patre, LUBOMIRIO! Quid enim RADIVILIANÆ Aquilæ Sobolis Celsitudini convenientiùs, quàm LUBOMIRSCIANI SRZENIAVÆ Alto sociari? ut in immensum gloriæ, & honorum excrescat, cui nec Hercules terminales ponat columnas, nec Jupiter metam; novit utique Aquilas, fidas esse throni sui Ministras. O amœnissima Hymenæi hilaria, medio DAMBSCIANI

 GOD-

GODZIEMBÆ celebrata Elyſio! non abſque SRZENIAVA, quaſi Paradiſi flumine, in ipſa Regni noſtri viſcera, pulcherrimo Senatorii ſanguinis profluvio exundante. Quid enim verò tunc non ad deſideria Sponſi, non ad vota & ſolatia Sponſæ, non ad guſtum Principum, quid non ad expectationem Patriæ, ad hilaritatem omnium, in illa amoris Regia obvenerat? Exultabat lætitiâ, ex Victoria affectuum, ſumma celeritate reportata, GODZIEMBÆ vertex; ut omnes Gratiæ pro uno decertare viderentur ANTONINO; exſiliebant tripudiantis SRZENIAVÆ gemmei fluctus magìs, quàm ad Narciſſi conſpectum Nymphæ, quòd veniſſe, & vidiſſe futuram vitæ & tori Sociam, jam erat viciſſe. Fatales Jaſoni rogos ſuſcitârunt infelices tædæ, & grandi cruoris eluvie extingui debuit Paridis ardor: hìc ſumma animorum malacia, hìc collecti ſinè cæde triumphi. Nec adeò demiror, quamvìs aliàs Orbis oculo dignam Connubii Veſtri felicitatem, Celſiſſimi NEO-SPONSI; non enim ſunt, ùt à plerisque, communes à Vobis Nuptiarum Genii in Patrocinia evocati, nec Joves, Gradivi, aliáque fabuloſa Numina in Paranymphos adſcita, ſed arcano quodam Superûm conſilio, è cælo ſubmiſſus ſanctior Auſpex, Martinus. Illius luce illuxit Vobis fortunata dies, oriens gloriæ abſque occaſu; accenſus genialis rogus ad ſepulchrales favillas arſurus; aucti ſplendores Hymenæi. ILLUSTRISSIMI denique CONJUGES, apparuiſtis illuſtriores. Permittite vigiles Heſperidum hortis Dracones, à delicioſo illo Nuptialis Pompæ velut Pomonæ lo-

Benedictio Nuptiarum die S. Martini Epiſcopi Turonenſis collata ab Illuſtriſſimo Auguſtino Weſzel, Epiſcopo Livoniæ, jam Cameneçenſi.

loco, ubi inclytũ GODZIEMBÆ nemus, ex auro ramos, ex auro poma, ſeris carpenda profert Nepotibus, procul Lernææ aufugêre Hydræ, & effera hoſtiũ monſtra; contra quæ ſanctior Hercules ſtrinxit acinacem, ante Principes deinceps Lares excubias acturũ. Ab illo verò, ut ſimul ab Antiſtite, feliciſſimũ Conjugialis Feſti deſumite auſpicium, à cujus Præſulea Cruce omnem in vos deflexiſſe credite benedictionem. Et ſi integer malorum aſſurgat exercitus, vel ipſe tam fortunato invidus Connubio infrendeat Orcus, confidite pientiſſimi Conjuges certiſſimæ Victoriæ, cujus tot de cælo indicia, quot arma ſumitis; opponite jam ferrum militis, jam Antiſtitis ſcipionem, jam Crucem Præſuleam, & nihil illico ſupererit vincendum, nihil metuendum; imò unico tenuiſſimo etiam, eóque extremo, Martini halitu, conceſſum vobis graves Erebi iras difflare. Adlegit tamen ſibi ſocium ad augmentum Nuptialis Pompæ, Diviniſſimus ILLUSTRISSIMUM, Turonenſis Camenecenſem Nominatum, Præſul, Præſulem: ut feſtivæ diei, ab utroque hoc Eccleſiæ ſole ſereniſſimæ lucis accederet, quàm fuerit ab injurioſa nocte detractum, ac inter hæc Parelia, Celſiſſimarúmque Familiarum junctos ſplendores, novo prodigio, lux eſſet maxima Martini. Et bene ſponſalium ædium honori, ille Sacrorum præerat Antiſtes, cujus Avitus ROGALA, velut imbres aureos beatam ab alto Fortunæ copiam, cornu fundit utroque: nè itaq; minimè deeſſet officio optimus Antiſtes, fœderatas CELSISSIMI NEO-SPONSI dexteras Veſtras illo coronavit annulo, quem ex auro, quod

Domui Veſtræ, extra Arabiam, felici adnaſcitur, non tam adventitius faber, quàm Patritius Honor, immortali gloriæ perennaturo elaboravit Amori. Suæ tamen ſacerrimæ manûs attactu, citra Mydæ commentum, pretioſiorem Præſul effecerat; cùm hanc volubilis Fortunæ orbitam ſæculorum omnium Principi ſacraret, nè aliquando à Vobis deflectat. Nec ſinè pretioſiſſimo Unione credite fuiſſe annulum, quem Vobis Præſulum, & alti WESZELIORUM ſanguinis gemma porrexerat; libertatis aureæ inſigne. Hæc Nuptiali arrha, Præſul Senator, Veneto more, ſolenni pompa, SRZENIAVÆ ùt Adriatici maris Fortunam, in æternaturi fœderis ſignum, DAMBSCIANÆ Genti devinxit. Coronatâ ſic dexterâ ad illas Vos adhuc eſt viſus deduxiſſe aras, quas oleæ impleverunt & Lauri, Pæſtíque flores in ſerta ſinuati; & quaſi Autumni rigores non ſentirent, ardenter præſtolabantur Auguſtas NEO-SPONSORUM frontes, aperto in ſupplex Votum corde, ut, quæ mitris aſſueverint, coronas etiam ferre non detrectent. Nónne jam ſatìs eſſet ad Majeſtatem Hymenæi Veſtri, dixiſſe? Cælites vobis adfuiſſe Pronubos! non orbatam lumine Deam, at ipſa Vos ſidera maritâſſe? ſed Nobiliſſimi CONJUGES, inter florentiſſimas aras, velut intrà coronamentorum Veſtrorum Labyrinthum detineor, & hanc conjugalis Dei aulam, ſive Honoris Veſtri templum ingreſſo, qui ultrà tentandus aditus, vel quæ retro capeſſenda ſit via? incertum mihi eſt. Plura ſe offerunt, & omnia, ùt ſplendore, ità magnitudine paria. Totum te ILLUSTRISSIME ANTO-

NI-

NINE, Celſiſſimus Sponſæ tuæ Progenitor, Imperatorius Sanguis, Ducum gloria, Palatinarum flos Purpurarum, Sandomirienſis Satrapiæ Princeps, Phœbea luce Generum ſuum amplexus, noſtris ſubduxit obtutibus. Audire ſolùm licuit, quæ intrà ſolis hujus cortinam, geſtientis animi edebantur Oracula. Hoc me felicem Genero judico! quem Genus Ducalibus mitris, ùt Ducum Nepotem: Mars lauris, ùt Heroum Progeniem: Pallas oleis, ùt ſuum Fundatorium ſanguinem: Purpureis Honor vittis, ùt Patrum Patriæ Filium: Regali Virtus tænia, ad omnem modeſtiam, animíque ſummam moderationem, compoſita vultûs majeſtate, ùt normam Principum coronavit. Altiſſimus LUBRANSCIORUM, DAMBSCIORUMq; ſanguis, totam planè Poloniam alluit; ſi jam SRZENIAVAM intret, quid immenſo vaſtiùs eſſe poterit? Erit, quando à maximis ſuis Majoribus non degener, rectè geſtorum gloriâ, meritorum in Patriam amplitudine, implebit orbem; impleat & magnis Nepotibus Regni curules! Jam quæ Matris Celſiſſimæ LUBOMIRIÆ fuiſſent, ſi ſupervixiſſet, gaudia? quæ fuerant Principis Sponſæ ſolatia? illa de te Genero, ùt Filio, ſive ùt de ſuo Olympias Alexandro gloriam deſumpſiſſet; hæc ùt de Jove Juno, aut Cornelia de Magno triumphabat. Cùm verò nullus hìc Cæſar hoſtis, licèt æmulus eſſe poſſit, nulla fatorum tempeſtas, ſumma pacati SRZENIAVÆ malacia, proſperrimum ad portum votorum navigium; feliciorem duxit ſe ſuo CAROLINA ANTONINO,

quâm Cleopatra Antonio. Audita eſt tripudiantis GODZIEMBÆ vox, natali ſuæ ſtirpi ad fœderati Amnis, tanquam ad Etruſci littus Arni, novam Honorum Florentiam ominari. Totus tandem dies ille lætis invicem precationibus, fauſtíſque omnium acclamationibus perſonabat. Hi DÆMBSCIO, quòd fortunatior Timotheo, non Urbes, ſed Unionem illi parem, quæ Regno ponderari digna fuit, nec Fortunæ manibus, ſed Cæli penſante animos favore, in aurea Cordis ſui retia allexerit, plauſus dabant. Illi LUBOMIRSCIÆ, quod aureum Palmitis DÆMBSCIANI pomum, de quo litem poſſent movere Numina, datum ſit Pulcherrimæ, quam Lechicus Apelles Honor Palatino pingit Murice, Familiæ. Plerique, Novembrémne eſſe menſem illum, quo non tam hyeme defloreſcere DÆMBSCIANA Arbor, quàm vernare videbatur, tantiſper ambigebant, cùm Par Neo-Sponſorum Florentiſſimum conſpexiſſent; donec Religio dubium diſcuſſerit; cui menſem hunc Divis, Florentio, atque Florentiano, itèm Florentiâ, ſive ipsâ Florâ libuit exornare. Alii in Domum Veſtram ingentem à tot ſæculis confluxiſſe Cæſarum & Ducum exercitum, illóſque ad Hymenæi plauſus è cineribus excitatos in ſuis exultare Poſteris, triumpharéque obſervabant; abſque hoc, ut inter geniales ignes, illæ Majorum ceræ colliqueſcerent; cùm optimè & ſolem nôſſent, & nullum delicioſæ diei commercium eſſe, cum luctu, & lacrymis. Quis verò permixta gaudiis vota recenſeat? ſinguli DÆMBSCIO, ùt gloriâ Herculem, fortitudine Achillem, fortunâ Crœ-

ſum

ſum ſuperet; Honorúmque acceſſione celſiùs aſſurgat GODZIEMBÆ vertex; ſinguli LUBOMIRIÆ, ut præclariſſimarum dotum compendio, Pandoram; Prudentiâ, Palladem; Virtute Corneliam; Conjugis Amore, Penelopen præſtet; univerſi denique DĄMBSCIO, & LUBOMIRIÆ, ut Neſtorem annis vincant, precabantur. Accipiat interim orbis hanc rudi ſepia inumbratam, ſcribi dignam murice, & aureo ſtylo Hymenæi Veſtri Majeſtatem, decora, felicitatem; donec plura Familiarum Veſtrarum legerit ornamenta; quæ jam in hanc educi paginam patiatur modeſtia Veſtra, CELSISSIMI NEOSPONSI; ut pateat DĄMBSCIOS, & LUBOMIRIOS, ceu ſoles latere non poſſe.

Nihil unquam feliciùs cadere potuit deſudanti in encomiis DĄMBSCIANIS Suadæ, emenſis tot ſæculorum tractibus feſſæ, quàm ad primam Stirpis tuæ Plantam, ILLUSTRISSIME DOMINE, procumbere; ubi victrici dextera Equitum Polonorum bellicoſiſſimi GODZIEMBÆ evulſa PINUS, in lauriferum Martis lucum excrevit. Alios equidem ab ipſa origine indulgenter nimiùm habere voluit Lucina, quaſi aut aurea parvi Joves cunabula ſortiti eſſent, aut ad longas orbis delicias cum Tito naſci viderentur; verùm hæc creſcentis Familiæ lenocinia, quæ imbellem animum inſtillabant venis, in fallacis Fortunæ citò peritura abivêre crepundia, & luſum fatorum. Patritia DĄMBSCIORUM Arbor perennitate ſua Cedros exceſſura, inter bellorum nata turbines, ut his in illam validiùs incurſantibus, fortiùs ageret radices. Non alteri ſe im-

Prima Planta Illuſtriſſimæ Dąmbſcianæ Domûs in Martis Campo ſita, & propagata in ſylvam trophæorum.

plantari campo permiſerat, niſì qui Marte, & mortibus horreret; ut agnata ferro, luctaríque cum fatis aſſueta Stirps Heroa, nec deinceps ſecurim ad radicem pertimeſceret, nec enſibus ſtaret cædua, niſì Victoribus GODZIEMBIIS ad triumphalem Coronam. Vidit enim, ILLUSTRISSIME NEO-SPONSE, ſuum extra Thebas Herculem Polonia, ſub Vladislao Principe primigenium Gentis Veſtræ Ducem in prælio cum Moravis, Heroum invictiſſimum GODZIEMBAM, qui utrâque palmâ cùm è viſceribus telluris egeſſiſſet arborem, retulit non unam de proſtrato hoſte palmam, & nobiliſſimum, quale vix ſæcula erigerent, de primùm nata in decus Veſtrum PINU effecerat Patriæ trophæum; unde Vobis immarceſcibiles Laureæ pullulârunt. O! quantus ſtrenuè pro Republica certandi æſtus! illius vitæ deſiderio, nunquam ſatìs inter fatale hoſtilium cadaverum gelu ardere; illius tranquillitatem, & pacem per proprii ſanguinis diſcrimina flagranter ſitire; & cùm jam mucrones & haſtæ, antequam ex hoſtili emergant cruore, non ſufficiant ad Victorias, nemora in ſuppetias vocare, & ultra enſes, arboribus perſequi, & truncare inimica capita; hoc denique novum eſt Virtutis heroicæ prodigium, rarum fortiſſimi Bellatoris GODZIEMBÆ ſtratagema! Permittite tantum Heroëm ILLUSTRISSIMI DAMBSCII prodigioſæ fortitudinis prototypon, primam Domûs Veſtræ Plantam, Parrhaſii manu in bellicis depingi labaris, explicaríque inter prælia; etiam ad ejus umbram, velut ad Perſei parmam,

Godziemba Eques Polonus de hoſte evulſa Pinu triumphans Anno 1094. Caput Familiæ Dambſcianæ. Cromer, & Okolski tomo imo.

mam, obrigeſcet hoſtis. Sic olim admirator Sieciechus, Dux Exercituum Regni Poloniæ ſuſpexerat, ipſa inexpugnabilis GODZIEMBIANI roboris admiratione obſtupeſcere, ſolâ magnanimi Viri famâ exanimari, nedum velut magni Æneæ, heroicâ illius dexterâ adverſas ſterni acies, ac ſi unus caſtra feciſſet GODZIEMBA. Tacitus tunc intrà ſe Bellidux loquebatur: ſi plures Regnum, ùt ſoles, ità ſupremos militiæ pateretur Ductores, huic Heroum Potentiſſimo deferrem clavam; qui illam etiam Herculi adimeret; cujus triumphis, nec ſylvæ poterant terminalem ponere columnam. Redimirem illico laureis, ferro incluſam, frontem illius auream, niſì jam de Moravis triumphantem Arbor PINEA, ut Iſthmicos quondam Victores, coronâſſet. Liceat tamen bene ominari; ibit evulſa Planta in æternum GODZIEMBIANÆ gloriæ viridarium. Inter fulmina bellorum prodiit, gemmas Regni pariet; pretioſa Honorum inſignia, nunquam deceſſuris feret Nepotibus; erit una nemus: Senatum, Curias, & Caſtra implebit. Nec irrita Sieciechus fudit vota; hoſtili namque cruore irrigata Victrix Arbor, eouſque per heroica GODZIEMBARUM crevit facinora, & tantis ſubitò in altum provecta incrementis, ut per Poloniam longè latéque meritorum, titulorúmque umbram projiceret. Aurea fronde, gemmeíſque fructibus elatæ Xerxis Platano præferenda ſpectabatur, quòd non luxu turgeret, ſed novis in annos meritis revireſceret; nec ad inanem oſtentationem, ſed ad guſtum Patriæ proferret fructus; nec tandem unam inumbraret Regiam,

 ſed

ſed totum ferme Regnum magnitudine Nominis ſui impleret; cùm ad illam, quaſi ad omnium felicitatum nidum, Cracovienſis, Poſnanienſis, Breſtenſis, Cujaviæ, Palatinatuum Gentilitiæ jam tunc convolârant Aquilæ. An equidem ſe non fortunatam tunc ſenſerat Polonia, cùm primus minimè abludens à Duce primigenio, GODZIEMBA Comes, & ſtrenuus Heros ſub bellicoſiſſimo Principe BOLESLAO Crivouſto, non ſpem in herba, ſed jam robuſtæ Virtutis ramos, ad denſas porrigeret victorias. FELIX deinde GODZIEMBA ſub Caſimiro tertio, jam Pannonici, jam Lechici Regni Exercituum Clavas mereretur. Felicior ſanè fuit, ſuo Polonia FELICE, quàm Creta Jove, vel Hercule Thebæ. O! maximis Majorem Ducibus inviƈtiſſimum militiæ utriusq; Gentis Imperatorem, dignum, quem ſibi Regna eriperent! O! memorabilem confliƈtum! quo Reges inter amica jurgia certabant, quaſi de Martis palma, de GODZIEMBARUM Stirpe, qui etiam in ſtemma, non aliter prodeunt, niſi armati. Crediderim ad conſpeƈtum tam grandis trophæorum obeliſci, ut gemino vix Regno comprehendi poſſet, demiſſiorem apparuiſſe Atlantem; veriùs quippe, quàm ille Olympum, Celſiſſima PINUS, trino aſſurgens ad Honores Vertice, altero Poloniæ cælum, Hungariæ altero, Domûs verò ſuæ prima ſidera medio ſuſtentabat. Quanta naſcenti primùm in Polonia Familiæ ad omnia ſumma, nec aliter quàm per ardua, (quod Herculeum eſt) aſſurgendi celeritas! Alios vix in orbem editos vagitus pueriles longa Honorum ſpe laƈtat Fortuna; & diu cogun-

Godziemba Comes Anno 1104. Idem.

Felix Godziemba primùm in Hungaria Anno 1463, tum in Polonia Anno 1466 Exercituum Dux. Cromerus Lib. 25. Wapowski. Okolski.

guntur per faſcias ſerpere, antequam deveniant ad faſces. GODZIEMBAS inter tonitrua, fragorésque præliorum Bellona progenuit; Heroo nutrivit ſanguine, & Leonum lacte, quemvis hac de Stirpe Achillem; pro cunis ſcuta poſuit, & gladios; ut non tam reptarent per arma, ac ſi aliquando fuiſſent imbelles, quàm cum Hercule continuò currerent ad clavas; aut ad Jovis Capitolini ſinum, per laureas. Et quia anguſta cenſuerant gloriæ ſuæ Olympia, ſolam fuiſſe Patriam; extra orbem cum FELICE feliciſſimis paſſibus progreſſi, vix milites, jam Duces, jam totus exercitus. Æſtimavit Hungaria ferream Martis Lechici Prolem, fortiſſimi inæſtimabile pretium Viri (ac ſi totus aureus eſſet) ad aureos montes ſuos velut ad Lydium lapidem comprobati. Coronavit Bellona ſceptri Hæredem Ducali galea, Clavam detulit victrici toties dexteræ, & tunc ſecura degebat in grandi corpore, ingens illa Regni Anima MATHIAS, dum non tam bella gerere cum effera Barbarie, quàm triumphare Dux ſpectabatur GODZIEMBA. Exundaverat tunc Savo fluvius abliguriente tot Provincias Turcica eluvie, quæ abſorptâ jam Boſniâ, naufragium Pannoniæ minabatur; metuerant contra vim validiſſimi torrentis pedem movere tot cladibus fuſæ Hungarorum copiæ. Exuberanti itaque hoſtili furori Ductorum fortunatiſſimus reſtitit FELIX, hac ſuos præmuniens teſſera: Eja Heroës! parvi quidem numero, ſed viribus planè immenſi, hìc nobis aut vincendum, aut moriendum! Victores nobilior exſpectat præda, quàm Leonis exuviæ Herculem,

Victoria ejuſdem Godziembæ de Turcis ad Savum fluvium Anno 1463. Cromerus.

quos ultra decem & ſeptem Chriſtianorum millia, barbaricis conſtricta vinculis, ad Capitolium immortalis gloriæ deducent in triumpho. Si cadimus? nihil hoc fato optabilius, quod Religioni litatur, omni victima pulchrius. Spes tamen indubia Victoriæ, quamvìs extra ſolis lucem, dimicaturis, pro Jove contra Gigantes affulget: virtute comite, cælo favente. Mox Lechici Ducis inſonuit claſſicum, & repentè medios in hoſtes, ùt in Terentum, irruit concubia nocte Polonus Annibal. Improviſo percuſſa fulmine, Getica expalluit Luna, exitiales credidit adveniſſe umbras, & fatale deliquium. Cornua tamen objecit; miſcentur armis arma, clamores clamoribus, & tota nocte pro ancipiti & cœca belli Fortuna pertinacibus pugnatum animis. Victoriæ tamen dies illuxit fortunatiſſimo Triumphatori GODZIEMBÆ, patuítque, qua per opertos Barbarorum clade, & funeribus campos, reliquæ imbellis in fugam effuſæ multitudinis adeò fortiter cervicibus inveheretur, ut adverſante terga vertentibus amne, vix Nuntius cladis victorem Ducis gladium effugerit. Nec multò pòſt ſecundiſſimè in Tranſylvania FELIX de profligato rurſus Turca triumphavit. O! quantùm ſubſilire tunc gaudio ſpectabantur Pannoniæ montes, cùm penè ad ſidera ipſo etiam Orientis Bizantini occaſu inclareſcens GODZIEMBARUM Nomen attollerent. Et quidnî infracta Ducis hujus magnanimitas, quæ muros aheneos perrumperet, cor etiam Principis expugnaret? quem Rex in CORVINA Regii ſanguinis Sponſa, ſuo fecit Throno propinquū.

Chriſtianorū ſeptemdecim millia per Godziembam à Turcarum ſervitute liberata, Idem.

Mathias Rex Hungariæ, Felici Godziembæ Filiam ex Sorore Chriſtianam dat in Conjugem. Okolski.

Ne-

Nemo dixerit ſortem Mathiæ cecidiſſe ſuper Felicem ; ſed Regem, hac Domûs ſuæ gemma emeritam frontem Heroum ex æquo coronâſſe. Ad Solem Latium,& Pannonicum tantiſper convertimini, ILLUSTRISSIMI DAMBSCII, quò vos in Meſſala, Valerio,& Domitio, ſexcentiſque aliis Regibus, ac Ducibus CORVINIS, anteſignanæ Romani Imperii Aquilæ, Hungarici, & Bohemici ſolii faſtigia provexerunt. Sylvam Honorum Aſtris ipſis affinem in hac Illuſtriſſimæ Familiæ Veſtræ Planta conſpicitis, cui Sereniſſimam Regiæ CORVINORUM conſanguinitatis Arborem, Mars implantavit coronatus. Fertiliùs in ſerta refloruit GODZIEMBÆ PINUS modicè ſuo transmota loco. Brevì equidem cum aureo Pannoniæ Vellere redux in Patriam fortunatior Jaſon FELIX, nativo illam reddidit ſolo ; ut Lechicas etiam quaſi jam hæreditarias ferret Clavas, belli pro Patria Numinibus, GODZIEMBIIS. Noverat laudatiſſimam FELICIS fortitudinem CASIMIRUS Tertius, Poloniarum Rex, eúmque, ut Regiis præluderet in Pomerania victoriis, Polonarum Ducem Copiarum præmiſerat : & proſperrimo ubique Marte, bella illi ſerebantur ex bellis, nec aliter, quàm hoſtium terror, adverſas acies, caſtra, munitiones perrumpebat. Longum eſſet ſingula, & ſupervacaneum retexere florentiſſima GODZIEMBARUM Elogia, cùm abundè ſeptem ſæculorum explicentur Annalibus; legimúsque adhuc GODZIEMBIOS fuiſſe *inſignes virtute, pietate, fortitudine; in Toga, Sago, Arena ; Jovésque in Senatu, Martes in acie.* Ut enim prima in Martis Lechici campo fixa ra- Okolski.

radice PINUS Veſtra ILLUSTRISSIMI DAMBSCII in laureas ſtatim GODZIEMBIORUM excreverat, ità æquè in ſerta, quoties prælia comitterent, ac in oleas, dum pacem Patriæ colerent, refloruerat LUBRANSCIIS Palatinis Illuſtriſſimis, & præ aliis Thoma Caſtellano Breſtenſi Cujaviæ; qui de Solymani Turcarum Tyranni barbarico furore, ſub Sigiſmundo primo Poloniarū Rege victrices palmas Heros invictiſſimus toties reportaverat. Ac tandem ad noſtras uſque ætates latè propagatur in Vobis, quos minimè à Stirpe Veſtra degeneres, id eſt: Hectores, pares primis, vidit Polonia. Ut fidem dictis adſtruam, ILLUSTRISSIME NEO-SPONSE, ab Atavis, Tritavíſque tuis, quorum præclara facinora tot ſæculorum dilaudata Annalibus, in compendium Panegyris, ùt Iliadem in Nucleum redegi, ad Proavos, Patruóſque te reduco, ut illorum bellica geſta, quæ nobis palpanda nunc exhibentur; ſecuturi ævi commendemus Scriptoribus, & porrigamus perennibus inſerenda faſtis, laureatæ Stirpis DAMBSCIANÆ folia, quæ in tomos aſſurgunt. Hos inter Honori tuo primus extra Lechiæ, non extra GODZIEMBIANÆ gloriæ campum, transvectis Gentilitiis militavit armis ALEXANDER DAMBSKI, Magni tui Proavi ANDREÆ Filius, maximus Heroum Avus tuus, Sueticæ Legionariæ cohortis Dux. Leonini roboris Achilles placuit Sudermanico Leoni, & ignem in hoſtes ſpiranti, non teſtudo ad victorias, ſed fulminis ocyor alis, magno par Alexandro, arriſit Heros; neque enim leo ſocietatem armorum, niſì cum

Illuſtriſſimi Lubranſcii Palatini & Caſtellani Heroës.

Alexander Dambski in Suecia Legionariæ Dux Cohortis Caſtellanides Słonſcenſis.

cum leonibus, habet. Tunc coronatus ille Gentium Terror, ſub GODZIEMBÆ PINU, tot trophæis ſplendida, quaſi ſub triumphanti lauru, tutus à ferali fulmine recubuiſſe videbatur. Unde in prima Martis fronte collocaverat Ducem ſuum, quòd nôſſet GODZIEMBIOS non minùs ad fortunata prælia, quàm ad clavas natos. Sed heu! quos nulla vis armorum infregiſſet, mors invida medios ex improviſo ſecuit triumphos. Et fatalem ad ictum, quo avulſus GODZIEMBARUM ab Arbore ramus corruerat, velut ad Macedonis excidium, tota Heroum ſylva ingemuit. Non tamen Stirps GODZIEMBIANA planè immortalis Libitinæ ſecurim pertimeſcat; ſexcentis jam annis ſuarum ſentit vulnera frondium, & adhuc geminat virorem, eſt cæde vegetior. Semper enim fortes ex fortibus naſcuntur DÆMBSCII, ſuis è cineribus Phœnices. Sic Avo tuo ſucceſſit Patruus, ILLUSTRISSIME NEOSPONSE, Alexandro ANDREAS, Dux Duci, Priamo Hector, ad colligendas de Martis campo laureas, ad demetenda hoſtium capita; cui præter domeſticum enſem, Sereniſſimi Regis AUGUSTI Secundi duo gladii, ùt Legionario S.R.M. & Reipublicæ Duci ad manum erant; quòd unus tanto Heroi non ſatìs eſſet ad victorias. Hic itáque ſecundiſſimus æquè ac fortiſſimus Ductor Illuſtriſſimus Palatinus Patruus Tuus, ad illa, quibus tota fumabat Polonia, belli planè Dardanici incendia, oſtendit DÆMBSCIANUM eſſe triumphales Regibus pyras in Avita PINU accendere, fatalésque Patriæ rogos, hoſtili reſtinguere cruore. Nullus verò autumet diviſos DÆMBSCIORUM animos aliquando fu-

Illuſtriſſimus Andreas Dąmbski Palatinus Breſtenſis Cujaviæ Dux Legionarius S.R.M. & Reipublicæ, Heros bellicoſiſſimus.

fuiſſe, nec objecta armis arma, pila minantia pilis, in unius Gentis GODZIEMBIANÆ exercitu ſuſpicetur, quaſi ejuſdem Stirpis Heroës, ALEXANDER Mulciber in Trojam, ANDREAS pro Troja ſtaret Apollo. Ità quippe Alexander Sudermaniæ Leoni palmas deferebat, ut protinus eripuiſſet, ſi tunc iras ejus, & concuſsâ irruentem jubâ in Poloniam, vidiſſet. Hunc in DÆMBSCIIs Majeſtatis Polonæ & Patriæ præclarum Amorem toties propugnavit Illuſtriſſimus Palatinus ANDREAS, quoties hoſtium caſtra, Regis Achilles expugnaret; & Caliſſienſes, Cornovienſes, ſexcentáſque alias adverſo Marti ex ungue detraheret laureas. Exhorruerat ille, qui tot Regna rugitu ſuo terruit, ad conſpectum DÆMBSCIANÆ legionis, haſtatorum Equitum ſylvæ; cùm non imbelles feras, ſed inclytos Viros, & invictæ fortitudinis portenta animadvertiſſet. Nemæam credidit, quòd Herculeam DÆMBSCII manum, in ſuum extenſam exitium cerneret: nec effugiſſet, niſì priùs in prædam ceſſiſſet Draconi: ſed jam nè mortuo Leoni inſultare videaris, Illuſtriſſime Palatine, reconditum vaginâ gladium tenes; facilè tamen illum ſtrinxeris, Dux Veterane, ſi non deſit hoſtis, quem perimat. Confectam nempe bellis ætatem, heroica virtus ſervat adhuc vividam; quam penè immortalem reddant Superi, precamur. Neque â victorioſa procul ANDREÆ Arbore ſua poma cadunt; quot Filii, & Nepotes tui, Senator Maxime, tot ſtrenui prodeunt Heroës, fulcra Patriæ, laureati cito Duces, & quivis Æneas, Anchiſæ gloria. Minimum Natorum Tuorum, nō alibi, quàm

in coronati nuper PoloniarumRegis campo. Acceſcentem vides JOSEPHUM, ut triumphales lauros in ſerta colligens, abeat in coronam Patris. Verùm quò iterum militares Regni Aquilæ Encomiaſticam deducunt pennam; à Patruo tuo, ILLUSTRISSIME NEO-SPONSE, ad Patrem Illuſtriſſimum, & ab hoc ad te transvolant S. R. M. & Reipublicæ Rothmagiſtrum; quòd Gentilitiam DAMBSCIORUM PINUM, in denſiſſima excreviſſe noverint trophæa, vel quòd belli æſtum umbra illius temperet. Cum cataphractis Heroibus anteſignanæ alites illæ, prævolabant magnanimo Ductori ſuo ILLUSTRISSIMO ADALBERTO Progenitori Tuo, Auguſti Secundi Regis Poloniarum Anteambuloni, paulò ante fœderatæ Reipublicæ Mareſchalco, ut adversùs inviſas tot ferarum, infauſtarúmque volucrum acies in promptu haberet fulmina, pro ſecuritate Majeſtatis. Et diu licèt diverſi-colore belli Fortuna, cum hoſtibus congredi cogerentur, quòd enſes enſibus, tela retunderentur telis; nec ſcuta Regum eſſent impervia, horrendo armorum tonitruo concuteretur Polonia; nullius tamen Æoliæ turbine à REGIS ſui latere Aquilæ illæ avelli ſe permiſerant, nullo fatorum metu deterreri: quia DAMBSCIANÆ erant; cùm in obvia etiam irruerent vulnera, pro chara Regni Anima. Fortunatiſſima quæque Illuſtriſſimo Progenitori Tuo, conſtanti AUGUSTI amori, licuit ſumere auguria: brevì cum evolante jam è cineribus ſuis Phœnice Regno, ſe quoque ad ſupremas Exercituum Clavas, Palatináſque provehendum Curules; niſi illum,

Illuſtriſſimus Adalbertus Dąmbski, Progenitor Illuſtriſſimi Neo-Sponſi, Cataphractæ Cohortis Dux; Mareſchalcus Confœderatæ Reipublicæ, tum Regni.

illum, prô dolor! sinistra mortis ales ex aperta ad amplissimos Honores arena, ad angustias tumuli, & pugillum cineris revocaret. In te tamen fervet Bellatorum sanguis Majorum, ILLUSTRISSIME ANTONINE, in te Heroum nobilissimus vivit Progenitor, à cujus dextera ad tuas manus devoluta est Clava. Quem enim alium Mars Lechicus in Atlantis ADALBERTI locum congruentiùs suffecisset, quàm te Herculem. Jam ergo Tuo colloco in conspectu, Celsissimæ Stirpis Tuæ Plantam in bellicositam campo, sex sæculis ad Te usque bellica fortitudine propagatam. Una PINUS, Martis Poloni Domus est, tot Hectores, Scipiadas, Camillos profert, quot DAMBSCIOS. Cùm verò Stemma Vestrûm perpetuis Bellona coronet laureis, permittite victoriosæ Arbori etiam Minervæ foliū adsterni, & præter gladios, hastásque, de Oratorio etiam stylo triumphate.

P*Anditur Martis Lechici Regia!*
Prima PLANTA sæculorum Structuræ:
Longæva jam Domus, trophæorum quanta moles?
Truncatis hostium Patriæ capitibus innixa,
Stat omni Capitolio fortiùs;
A fundamentis ferrea, armis undique munita,
Lapsum non timet, extra ictum est.
Hæc sunt DAMBSCIANÆ *Stirpis prodigia,*
A Planta ad verticem Martiæ!
Ex inculto evulsa Pinus luco,
Illico Bellonæ solo gloriæ feracissimo, plantata:
Extirpatóque hoste, in serta refloruit
Victori GODZIEMBÆ;
Et una suffecit,
Ut Mars Bellatricem conderet Domum:
Vel ut hac Arbore, ac olim saxô
Formarentur Virorum clypeatæ messes;
Aurô æstimabiliores Heroës ferrei.



Hostis Enceladum sensit fuisse GODZIEMBAM,
Cùm nemora quoque robori ejus cederent;
At non contra Jovem bella movit?
Veriùs Patria, Majorem coluit Hercule,
Cui Clavæ locô fuit Arbor, contra tot Hydras;
Aut credidit revixisse Premislaum,
Sylvis Victricibus gloriosum.
Marti adverso, & morti occurrit Heros,
Irruit in pericula, pro securitate Lechiæ;
Exarmatus ferrô, armatus PINU:
Quâ, ùt ferali Cupresso,
Prostrato hosti terminalem posuit Colossum.
Hic est primigenius GODZIEMBARUM *Dux:*
Genuina Martis Poloni Soboles,
Africanis non impar, Victor Moravicus!
Quid jam fortunatiùs FELICE GODZIEMBA?

 Suc-

Successit Telamoni Fortior Ajax,
Hic & Germanicus, & Gethicus, & Scythicus!
Ab Occidente ad Orientem victorias extendit;
Ut ostenderet, hac de Stirpe Viros,
Nisi ad orbis triumphos nasci.
Quanta trophæorum Sylva, una Domus!
Non una Legio, non unus Exercitus,
Sex jam Centuriis ætatum propagatur!
GODZIEMBII, LUBRANSCII, DAMBSCII,
Heroës Triarii, unum sunt.
Valent mille, & amplius Ajaces bellicosissimos;
Excesserunt sexcentos Fabios, numerô, & fortitudine;
Quivis Achilles, fortior Hectore.
Hinc trino vertice surgentem victoriosam Arborem
Adoro, totam adhuc in flore!
Nec bellicos inter æstus retorridam,
Nec Mavortiis adustam ignibus,
Nec hostili cæduam ferro.
Fatorum Chalybem ridet: succisa repullulat.
Dubium movet prudens:
PINUSnè sit? an robur Achilleum?
Quidnî celsitudine & perennitate Cedros vincat?
Neque sterilem vidit unquam Momus,
Antidotum contra venena, parit Patriæ,
Hostibus toxicum.
Illi, Arbor vitæ; his, taxus.
Non invidemus Latio Domitianos,
Sub malo Punico, ad mala publica, natos;
GODZIEMBÆ *Arbor, educit Hectores Reipublicæ,*
Ad defensionem Religionis, ad tutelam Regni.
Si illius amplitudinem metiri liceat?
Quot ramos, tot Martis brachia,
Latè in fulcra Poloniæ exporrigit;
Verior Cæli Lechici Atlas;
Stabit sub hoc pondere, nunquam fatiscens,
Stirps Immortalis.

Familia Dambsciana, Sylva Honorum, & meritorum.

HActenus in Tuum cum gaudio verticem, Illustrissime NEO-SPONSE, insiliebant turmatim Bellonæ serta, Sagum ornabat humeros, armabat impervia pectus lorica, Ducum Clavæ exposcebant manum, affundebatur plantis herba,

ba, quam Majoribus Tuis devicti hoſtes porrexerant; denique Mars Sarmaticus in hæreditaria Celſiſſimæ Stirpis DAMBSCIANÆ trophæorum ſylva eouſque Te detinuit. Neque tamen totam pervaſiſſe Te crediderim, cùm & illa bellicæ fortitudinis Veſtræ oſtenta denſiſſimè videam propagata, & hæc immenſa ſit. Veriùs per ampliſſimum GODZIEMBIANÆ militiæ campum, qui non truncos, ſed Heroës parit; Tecum ſæculorum itineribus ſpatiatus, hucuſque oſtentabat Gradivus: ex illo auream immortalis gloriæ ſegetem provenire DAMBSCIIS, ubi Veſtro collectæ triumphales laureæ victore gladio in grandem aſſurgunt cumulum, & pro manipulis innumera cæſorum capita hoſtium computantur. Sed jam Te, ILLUSTRISSIME DOMINE, è Martis luco, in lucem trabearum; de Sago, ad Togam evocat Honor. Ut videat orbis, Heroo reſperſas ſanguine pulchriùs, quàm Tyrio tinctas murice, Senatorias DAMBSCIORUM rubere purpuras; & domeſticum, agnatúmque Vobis Principum Vellus, nè guttâ adſcititii infectum eſſe coloris; verùm illo duntaxat ardere oſtro, quod mille pro Patria ſuſceptis vulneribus, calente adhuc nobiliore vena, profudiſtis. Priùs namque Herculea manu geſtare Clavas, portare ſcuta, enſes dexterrimè in hoſtem ſtringere, quàm faſces, ſecurésque præferre; armillas, nexiles velut Herculeis adſtrictos annulis thoraces, victorúmque exuvias, ante purpuram, ab humero ſuſpenſas tenere; in acie emeritas, feſsáſque longo certamine vires, in Curulibus tandem reponere; de caſtris, ubi

jam nîl ſupereſt, quod vincatur, pedem referre ad Senatum; hoc GODZIEMBIANUM, hoc DAMBSCIANUM eſt. Voluit equidem non alibi, quàm inter Martis ſpinas, & horrida armorum aculeis dumeta Arbor Veſtra DAMBSCII naſci, hoſtiúmque irrigari cruore; ut eò fertiliùs aureos tandem honoris fructus Vobis proferret; non inter bellaria, delicioſáſque Sybaritarum menſas, ſed inter Regum poma, reponendos. Hanc tamen ſubintrantis Dodonam Suadæ juſtior metus retardat greſſum, nè intimiùs pervagari contendens, in Labyrinthum dignitatum incidat, & exerret; unde nullo deinceps poterit Ariadnæ filo evadere. Plantam proinde cohibet, ſatìs ſe felicem ducens, ſi Nemus Deorum è longinquo videat, tum prona primos DAMBSCIANÆ Gentis Duces, GODZIEMBIOS adoret. In Comite nimirum GODZIEMBA, ſub Boleslao Crivouſto, pulcherrimam Senatûs Lechici faciem, Veteranæ Familiæ abſque ſulcis vetuſtatis frontem, quaſi ſolis vultum contemplatur. In Filio Vexillifero Siradienſi, lectiſſimam Nobilitatis manum prehendit. In Nepotibus LUPO GODZIEMBA Płocenſi, MICHAELE Cujavienſi, integerrimæ Famæ Præſulibus; ANDREA LASCARI Poſnanienſi Antiſtite, in Hungaria cauſæ Regni contra Cruciferos ſtrenuo defenſore, ſub Vladislao Tertio; Senatoriæ florem legit Purpuræ, æſtimat Præſulū gemmas, inſeri dignas aurei ſæculi coronæ, & nobiliſſimi ſanguinis uniones, Pontificii tiaræ ornamenta. Illuſtriſſimum Gregorium DEITARUM Godziembam, Regni Pro-Cancellarium,

Illuſtriſſimi Godziembii Comites, Præſules, Procancellarii Regni, ab Anno 1104.

rium, Aquilis Lechiæ, ultra laudatores evolantem calamos, in ſolis Sarmatici Regia conſtitiſſe mirabunda intuetur; ut ampliùs in tanta Majorum Veſtrorum Illuſtriſſimi DĄMBSCII majeſtate, & ſplendoribus Proſapiæ, quibus clariſſimi Poſteri effulſiſtis, obtutum etiam defigere non audeat. O! quanta lux Domi Veſtræ primo Familiæ diluculo oborta! ſerenum honorum, meridiem titulorum adæquans. En! præter armorum jubar, Senatorius nitor trabearum Vos in GODZIEMBIIS Majoribus irradiat; & ſi jam totos Phœbi fulgor penetrat, nónne parelia viſuri ſumus, concurſum primorum ſiderum, ubi Illuſtriſſimi LUBRANSCII in lucem denuo prodierint? quibus idem cum DĄMBSCIIS ortus eſt. Eadem enim Vobis Planta, Stirps eadem; licèt tot ſæculorum incremento, per Majorem, Minorémque Poloniam, ad fines uſque Pokutiæ, in GODZIEMBA de Panieco, nobiliſſimos exporrexerit ramos, & in ampliſſimam conſanguinitatis Arborem excreverit, cujus inter prima decora vernabant LUBRANSCII, & adhuc vivent in DĄMBSCIIS. Mutârunt videlicet bini Fratres GODZIEMBII Nomina, non originem: unus in Lubraniec Comes, LUBRANSKI, alter in Dabie DĄMBSKI nominari voluit; ille Lubranſciani, hic Dambſciani uterque Maximi Author Nominis. Sic olim placuit Jovi jam ſe Olympium, aut Statorem, jam Feretrium, vel Tonantem appellare; manſit tamen idem, & ſupremus ſemper Deorum. Et jam tanquam ratis in mari immenſo Lubranſciani ſanguinis Tua vehitur Panegyris, Illuſtriſſime Domine; intrabit Oceanum, poſtquam totus ſanguis ille in venas

Bini Fratres Godziembii, unus Lubranski à Lubraniec, alter Dąmbski, à Dąbie dictus.

Joannes Lubranski Episcopus Posnaniensis Anno 1502. Cromerus. Dlugosz.

Tuas defluxerit. E primis Poloniæ Præsulibus Senator, JOANNES LUBRANSKI primus ante tuos, Magne Nepos, obversatur oculos, post Płocensem Infulam, Posnaniensi coronatus tiarâ; qui sacrorum Rex in ædibus DAMBSCIANIS jam tunc Templum Honoris dedicabat, quasi præsago spiritu LUBRANSCIOS in DAMBSCIIS perennaturos vidisset. Tam vastum verticem, non unius Coronæ capacem, inter prima Familiæ suæ capita orbis Lechicus adoraverat; parúmque abfuit, quin Primatialis etiam Mitra in illum devolveretur, nisì obfirmata Præsulis modestia frontem subduxisset. Nullum quippe JOANNE suo ad omnem sanctimoniæ normam magìs compositum censuerat Cathedra illa, cujus avitum insigne Petrus condecorat; ut extra septicollem Romam se Petri Cathedram, JOANNEM summum Antistitem esse crederet; dignum, quem fasti *Virum devotum* celebrent, integerrimi mores prædicent sanctissimum. Non tamen ille Vaticani eminentias ambiebat, satìs purpurata virtute conspicuus; & quo Major non surrexerat, maluit esse; quàm dici Eminentissimus. Nè verò minimè à suo Nomine abluderet, Gratianum se Religioni exhibuit: septem supra quinquaginta sacras ædes, sive munificentiæ LUBRANSCIANÆ Basilicas, ad Orbis ædificationem, construxit. De Pallade quoque optimè meritum Posnaniensis celebrat Academia, dum extra Athenas pullulare vidit eruditorum sylvam ex GODZIEMBÆ Fundatoria Arbore. Illustravit sapientissimus Præsul Majorem Poloniam Scientiis, quas de noctibus Atticis in lucem eduxit: umbras

Okolski.

Sacras ædes 57. exstruxit: & Academiam Posnaniensem fundavit.

bras

bras Academicas, voluit eſſe Lubranſciani Nominis comites, ipſe ſol Doctorum JOANNES. Ante Aram Minervæ, Cleanthis lucernam munificentia Antiſtitis perpetuò arſuram accendit; effecítque, nè unquam deeſſet liquor Palladius. Quanquam in JOANNE emori viderentur Gratiæ, medicum ex ejus tumba oleum manare viſum. Vivet ſanè omnium memoriâ Præſul immortalis, qui etiam à morte vitalem ſe exhibuit. Clarior ſuo tumulus ille fuerat dono, quàm felix Arabia unguento. Nemo jam mutum ſepulchrale LUBRANSCIORUM marmor dicat; loquitur palàm ſanctimoniæ famam, erumpente ſatìs ſonorè mirifico fonte. Inter hæc tamen profuſiſſima in Eccleſiam & Scientias merita, non minùs liberalem ſe in Patriam oſtendit, cui præter Fortunæ gazas, mentis quoque opes & vires impendit, plurimis egregiè perſunctus Legationibus. Cùm enim omnes in ore JOANNIS facundiæ Gratias conſediſſe experta fuerat Reſpublica, illum primò Oratorem elegit ad Alexandrum Principem, ubi Rex renunciatus eſſet; ejúsque linguâ locutâ, Regnum Breſtæ detulit Regi; tum poſt Alexandri fata, hunc rurſus Cyneam ad Sigiſmundum Principem expediverat in Lithuaniam, nè illum alia Vox, quàm JOANNIS, Regem Poloniæ proclamaret. Æſtimaverunt Reges Præſulei efficaciam eloquii, adeò, ut illico ſubmitterent coronæ capita, & ad thronum Anteambulonem ſequerentur LUBRANSCIUM; Alexander Ephæſtionem; Achatem Sigiſmundus primus. Qui cùm è ſolio altiùs inſpexiſſet Regias Joannis dotes, candorem animi, conſiliorum pondus, Patriæ amorem, comita-

Ex ejus tumba oleum quoddam medicum fluebat. Acta Academiæ Posnan.

Legatus ad Alexandrum & Sigismundum Reges Poloniarum. Cromerus lib. 30.

tem, dexteritatémque in agendo; ampliorem LUBRANSCIANÆ gloriæ destinavit Appiam, Viennam misitPræsulem; ad Jovem, Mercurium; ad Cæsarem, Pacis Angelum; qui Austriacam inter & Jagellonicam Familiam dissidia componeret. Processit extra Regnum Præsulis activitas magnis itineribus, majore plausu. Oracula JOANNIS Romana Majestas gratiosa aure excepit, cordi inseruit. Mox suprema Germaniæ Comitia conclamantur: Fratres Reges Poloniæ, & Hungariæ cum Cæsare conveniunt: concordia inter Regum Imperatorísque amplexus æterno stabilitur fœdere; & hìc subitò LUBRANSCIANA PINUS, non ad leve pacificationis momentum ad Viennensis Danubii littora translata, in pacis oleam Imperio, & Regnis effloruit. De Cæsaris solio tunc vocem illam erupisse narrant fasti: *Hæc dies, quam fecit Dominus!* nec absimile LUBRANSCII arbitror fuisse suspirium: O! me felicem! per quem tot Regnorum stetit felicitas! tandem semina dissensionum tulerunt auream pacis messem, me jura dante Regibus. Appendo avitæ Arbori cruentos Regum gladios, quos in vaginam recondidi; abeant Posteris meis in trophæum perennis gloriæ. Austriacâ tæniâ Jagellonicos colligo manipulos, & satìs ingens LUBRANSCIANO Nomini, ac DAMBSCIANO consurgit laudum acervus. Hæc tunc Præsul locutus, Gallicano gloriosior Hercule, cum aureo facundiæ nexu, pacatos Regum animos innodaret: Voces gemmis notate DAMBSCII, omne verborum pretium in Vestro Honore formando, impendit Regnorum Le-

Idem Legatus ad Maximilianum Cæsarem à Sigismundo Rege Poloniæ. Neugebauer lib. 1. Hist. Polon.

gatus ; extra Lechiæ quoque orbitam periodicos rotans ambitus, pro Domo Veſtra egit Oratorem. Tunc nempe toto planè inclaruiſtis orbe, cùm in illo Romani Imperii theatro, jam à fronte, jam ab ore Joannis repingebantur Gratiæ, quæ Jovem ipſum decerent; maximo Major Polonia Senatore gloriabatur; Piſcatoris annuli gemmam Pontificii Petri Poſnanienſis coronæ efferebat apex ; Sarmatia Patrum Patriæ Numen, ſive Conſum, in illo Deorum Latii, Germaniæ, Poloniæ, Pannoniæque conſeſſu adorabat; Imperatoriæ Aquilæ Lechicis conjunctæ, Lubranſcium velut ſolem exteri ſoles æmulum, aut Sarmatici cæli Princeps ſidus, è Cæſaris throno proſpectabant. Denique ſub LUBRANSCIANA PINU coronati tot Regnorum Joves, Eminentiſſima Vaticani Numina, Infulati, Togatíque Provinciarum Dii, viſi ſunt hoſpitari. En! in uno JOANNE confertiſſima Familiæ ornamenta, laudes immenſas! erítne decorum, encomiorúmque modus, ſi Fratrem illi legibus naturæ junctum, Caſtorem Polluci conſociavero, VINCENTIUM NICOLAUM Poſnanienſis Satrapiæ Ducem? Heroicæ illius virtuti, clariſſimis bello geſtis, Caliſſienſis primùm ceſſit in præmium purpura, præcinctámque lauro frontem Nobiliſſimus Palatinatus gemino Gentilitii ſui decoris coronavit diademate ; cujus etiam par orbi regendo caput in perpetuum aſſumpſiſſet inſigne, niſì illud priùs in Stemmate ſuffeciſſet Wieniawa. Brevì tamen optimè meritus de hac curuli Palatinus, ad ſublimius Senatoriæ dignitatis faſtigium, bonis avibus, id eſt: avitis Pa-

Nicolaus Lubranski, primò Caliſſienſis, tum Poſnanienſis Palatinus, Frater Joannis Epiſcopi Poſnanienſis. Olſzewski in literis Sigismundi I. Regis Polon. Okolski.

latinatûs Posnanienſis Aquilis evolavit; ut certare de NICOLAO viderentur Regni faſces, & innumera LUBRANSCII erga Patriam merita ſinè modo inſequi honores. Rempublicam enim ille vix non ex aſſe Patrimonii ſui fecerat hæredem, quamvìs hæredibus Liberis non careret; neque ſolùm Civem, ſed Patrem ſe Patriæ comprobaverat, cùm ad exemplum poſterorum, beneficentiæ ſuæ Ordinationem Nobilibus pupillis litâſſet; quos ſibi Filios cooptavit. Noluit inane præferre NICOLAI Nomen, quaſi illud â cumulo beneficiorum, quæ olim Bono Publico impenderet, cælitus fuiſſet ſortitus; porrexit Patriæ onuſtam aurô dexteram, totus aureus: quâ Iberos fluvios, pretioſos Palladis imbres vincebat; dum citra Vatum commenta, in uſus Reipublicæ Fortunam profunderet. Æmulata Indigetis in Iros ſtudium, Crœſi opibus major Palatini in Patriam liberalitas, & quia rara, nunquam ſatìs æſtimanda; novô prodigiô, aurea & vocalis: inæſtimabilem videlicet NICOLAI munificentiam dedecet encomiorum parſimonia. Ætates LUBRANSCIORUM gemmeas poſteritati grata devovit Reſpublica; horas omnes, quæ aureo decurrant pulvere; pro auro in hæreditatem Patriæ præclarè erogato. Sed non Fortunæ ſolùm impendia, in publicum contulit NICOLAUS; omnibus etiam theſauris cariores, in Reipublicæ commoda, procreavit Filios.

Ordinationem inſtituit in Reipublicæ ſubſidium.

Exhibuítque ſe gratam Patria, cùm in altero magni Patris merita Pro-Cancellarii Regni annulo conſignavit; & regale Palatini munus, ſæculorum ambitu dignum coronari, tenuit ſub ſigillo: in altero THOMA Caſtellanam Breſtenſem Cuja-

Nicolai Palatini Filii duo: unus Pro-Cancellarius Regni, alter Caſtellanus Breſtenſis Cujaviæ circa annum 1529. Długoſſus & Neugebauer.

javiæ Purpuram, velut hæreditario jure, consecravit LUBRANSCIIS. Crevit in utriusque lectissima Sobole pretium æstimatissimæ Domûs, usque ad summum titulorum; cùm Illustrissimam Prolem nec Honoribus definiri Respublica, nec numero arctari voluit natura. Tres Pro-Cancellarii Regni Filiæ, Charites Patriæ dici mererentur, nisi in unum cumulatas omnes Dearum Gratias superâssent; & in meliorem Reipublicæ sortem natæ, Matres Familiarum exstitissent.

Pro-Cancellarii tres Filiæ: Opalenscio, Chlewiccio, Przyiemscio desponsatæ.

Harum una, trabeatorum Lechiæ Quiritum, Majoris Poloniæ Generalium, maximarum Præfecturarum bajulâ, OPALENSCIORUM Argo, ad portum contendit Honorum. Alteram PRZYIEMSCIORUM Cælum inter primæ magnitudinis Astra retulit, ut aviti sideris auxisset splendores. Tertia in altum gloriæ, cum Gentilitia CHLEVICCIORUM sagitta, evolavit. Jam Illustrissimus CASTELLANUS novem Filios, velut Exercitum Heroum, in lucem, & in aciem eduxit. Compingam singulorum encomia, ægre equidem Fratres Paternarum Successores virtutum, se ab invicem laudibus disjungi sinunt. Nullus Illorum Hectoris GODZIEMBÆ noxa, quivis æmulus: Nomen omnes transscripserunt Marti, manum Heroicis admoverunt facinoribus.

Thomæ Castellani novem Filii Comites in Lubraniec.

Ut priùs Bellonæ clavas ferrent, antequam fasces, & confertissima Magistratuum Regni insignia; jam Castellani & Succamerarii, jam Præfecti Excubiarum, & Vexilliferi, jam Judices & Capitanei possiderent; bellicis priùs gestis, & gloriosiùs ter centum Fabiis implerent castra LUBRANSCII, quàm graves meritis ad Cu-

966 riam & Senatum, cum Majeſtate tranſirent. Quanti Heroës iſtos æſtimaverit Polonia, cum illis inita armorum cognatione Principes comprobaverunt Familiæ: quaſi pro militari in Patriam obſequio, Nobiliſſimas Sponſarum, ùt Bellonas Gradivis, daturas ſe ſanciviſſent. Unus illorum in Sponſa RADIVILIA, Comitum Frater, in Ducum Comitem adoptatus, Caſtrenſibus Aquilis adjunxit Radivilias. Alter PILAVA, ut immortalis gloriæ trophæo, Godziembarum Arborem condecorans, de POTOCCIANO, id eſt: à cunis Patritio ſanguine, in triumphorum, & vitæ ſociam duxit VICTORIAM. Alter TARNOVIAM cum Gentilitia attraxit Cynthia, ad illam, quæ par eſt cælo, Domum. Integram alter deſponſavit ſibi Fortunã, divisô DZIAŁYNIORUM annulô, qui orbem meritis & honoribus plenum adæquat. Reliquis idem Hymenæi ſplendor affulſit, nullum inæqualis nubendi ſortis diſcrimen interceſſit, inter clariſſimæ Fratres Proſapiæ, quibus grandes titulos in Godziembiis ſponſavit Mater Honorum Reſpublica. Jam à LUBRANSCIIS ad DÆMBSCIOS properat Panegyris, Illuſtriſſime NEO-SPONSE, & immutato Nomine Tua ſemper manet. Non omnia tamen Familiæ tuæ Nomina, & Numina percurrit ſtylus, nè in volumen laudum excreſcat breve folium; nec adeò perſpicax Suadæ noſtræ ineſt mentis acies, ut immenſos ſplendores intimiùs ſcrutetur, & innumerabiles Phœbi radios ad calculum revocet. Vix enim ſe capit! majori quippe admiratione tenetur defixa, dum unam GODZIEMBIORUM, LUBRANSCIORUM-

RUMque Gentem, tot ſæculis in Lechiæ Senatu & caſtris propagatam, ad DAMBSCIOS quaſi Regnum Honorum, Fraterno jure, cernit devolutum; quàm ſi denuo Romanos, Sabinósque, diviſos antea populos, uno ſub vocabulo, QUIRITES conſurgere videret. Nè itáque Atavos, Tritavósque Tuos de medio trophæorum, honorúmque moveamus; è tanto Principum, Ducum, Procerum, Comitúmque exercitu, velut ſol ex aſtrorum agmine, ad claſſicum Patritiæ Famæ evocatur, ſuorum olim militans Honori Nepotum, bellatorum GODZIEMBARUM cor & anima, Comes & Ductor, Togatorum Sarmatiæ Numinum Parens, Abavus Tuus, ANDREAS DAMBSKI, trium Filiorum, & totidem Patriæ Patrum, fortiſſimorum Triariorum Progenitor; primi Breſtenſi Cujaviæ, alterius Sſonſcenſi, tertii Konarienſi in Cujavia CASTELLANIS Purpuris conſpicuorum. Et certè iviſſem longiùs retro per titulos Senatores; niſi vel cum ipſo ANDREA Illuſtriſſimo, in altum jam DAMBSCIANI enavigâſſem ſanguinis; non tamen abſque ſubita hìc CASTELLANI Breſtenſis Proavi Tui jactura, & lugubri vitæ, ſecuturæque Prolis naufragio. Verùm quaſi natura per fatum Fratris publico bono illatum damnum, liberalitate reſartura eſſet: cùm doloris ſenſu decerpta Parcarum manibus, aut inciſa ſecuribus PINUS avita, nobiliùs in altero Proavo Tuo, Caſtellano Sſonſcenſi, quadruplo nec degenere Ramo propagata reviruit; in quatuor Caſtellani Illuſtriſſimi Filiis, STANISLAO DAMBSKI, Coronatore Regis AUGUSTI II. Antiſtite Cracovienſi, & Duce

Andreas Comes in Lubraniec Dambski Abavus Illuſtriſſimi Neo-Sponſi, trium Filiorum, Regni Senatorum Progenitor.

Unus deceſſit Improlis ex Proavis Illuſtriſſimi Neo-Sponſi.

Alter Proavus Castellanus Stonscensis, quatuor Filiis Clarissimus: Episcopo Cracoviensi, Palatino Brestensi, Castellano Konariensi, & Alexandro Duce Legionario.

Severiæ; SIGISMUNDO, Palatino Brestensi Cujaviæ; ADRIANO, Castellano Konariensi Cujaviæ; ALEXANDRO, marte Polono, cujus bellica gesta jam suprà inter Gradivi trophæa reposui. Xerxea planè Arbor, poma aurea Regibus porrecta, & uniones protulit, ad Principum Coronas, ad Ducum & Præsulum mitras, ad Palatinas, Castellanásque tænias, ad Martis denique galeas; ut nullæ feliciùs frondes, pretiosiùs nullæ, vel in Semiramidum hortis, vel in Dodona Deorum, gemmare potuerint. Ea illico celsitudine fastigiorum eminuit in Filiis Pater, tot coronarum Apex, purpurarum Flos, Celsissimorum Sator Titulorum, Serenitatum Progenitor. Videat Lechicus Orbis, iturísque in sæculorum memoriam, fastis imprimat: quàm excelso gloriæ curru, NOBILISSIMÆ quaternariæ SOBOLI, velut aureis Fortunæ rotis innixo, ILLUSTRISSIMUS CASTELLANUS PROAVUS Tuus ferebatur; à Majorum suorum immortalis Famæ Capitolio, per maxima, ad summa! Viâ jam Appiâ, jam Palatinâ; longè latéque Præsulum violis, trabearum flore, Bellonæ Laureis, sexcentísque aliis Regni Insignibus instrata: planè nisì Rex Astrorum, medios inter splendores, tali provehitur carpento; & non dissimili quadriga, coronatum olim Principem, Boleslaum Justum, à quatuor Fratribus ad Thronũ Poloniæ deductum, præsaga vidit mente, jam lumina claudens CRIVOUSTUS PARENS. Sanè insigne illud Paterni elogii genus est, rara apud alios, apud DAMBSCIOS Hæreditaria & constans Genethliaca Felicitas? Quot ILLUSTRES FILIOS,

OS, tot Familiæ columina, aboriginum decora, Patriæ Trabeatos Patres procreare; quot Natos, tot Infulatos Vertices, Togata Sagatáque Numina censere. Fidem dictis adstruat ILLUSTRISSIMA CASTELLANA, CELSISSIMI PRINCIPIS STANISLAI, EPISCOPI CRACOVIENSIS, Ducis Severiæ, Avi Tui Mater: quæ tenellam illius frontem, priusquam vidisset lucem, cæli, Infularúmque splendoribus vidit circumfusam; sicque Natales DÆMBSCIANI, ùt olim KOSTKANI, ultra Domesticum jubar, Cerásque Majorum luce siderea inclaruêre. Prodigioso planè lumine illustratæ utriusque STANISLAI Matres, nè ampliùs essent ignaræ, quantum munus Superûm, quàm ILLUSTRES FILIOS utero foverent; & ùt feliciores, sanctiorésque Hecubæ, radios, faces, ardentésque sagittas, sed contra Hydras: flammam, sed vigilem pro Patria, parerent. Neque cùm illa Infularum multitudo Infantis Capiti illabi, quasi in speculo spectabatur, Matris solùm somnia fuisse crediderim, sed arcana quædam cælorum oracula: quibus adhuc Pusioni STANISLAO Præsulei Honores denuntiabantur, antequam turmatim in Patritium Virum irruerent. Et quamvìs persæpe præclaris Natalibus, paribúsque gestis, sors injuriosa obicem crescendi ponat: dignos omni eminere subsellio, ad ima deprimit: vel, quod omni duriore fato pejus est, repentinè quandoque ad Honorum fastigia elevat, ut eò graviùs præcipitet; nihil tamen juris habuit in DÆMBSCIOS; & fas non erat unquam Fortunæ, contra Divorum de Præsule STANISLAO sancita rebellare.

Celsissimus Episcopus Cracoviensis Stanislaus Dambski, cælitus destinatus plurimis Infulis; Avus Illustrissimi Neo-Sponsi.

Quamobrem ubi prima, & ſubitò grandia Avi Tui, ILLUSTRISSIME DOMINE, merita MICHAEL REX ad lucem æquitatis expenderat, dimoveri à ſententia non potuit, quin emeritæ Illius fronti Chelmenſem Infulam adjudicaret. Tunc pulchra inter Epiſcopales Tiaras de vertice DAMBSCIANO, exorta contentio: inculpata alia ex aliis ſerebantur inter Purpuras litigia de Præſule; Pontificii Scipiones, jam tumultuariè manui ſe ingerebant, jam longa expectatione annuentis defixi ſtabant: bella deniq; inter aras exarſerant, ceris ipſis in lachrymas præ tædio diffluentibus; nec jam ex ordine, ſed certatim uno ore Antiſtitem DAMBSCIUM Diœceſes depoſcere videbantur. Placuit Joanni III. vox illa, concertantium de optimo Regni Senatore ſubſelliorum; litémque approbante Roma Rex diremit: congeſtis, brevi inter ſingulas interjecta mora, Luceorienſi, Płocenſi, Cujavienſi Infulis in verticem STANISLAI: & nondum tot vittæ Caput ex integro præcinxerant, omni dignum Corona, quavis Cydari vaſtius; ut palàm eſſet, Orbem ipſum immenſis DAMBSCIORUM meritis, Famæ, Honoribus, manere obligatum. Adjecit itáque Principem Cracovienſis Cathedræ mitram, uno planè pollice minorem Primatiali, & Vice-Regio Diademate, Auguſtus II. ut efficeret Celſiſſimum; adhuc tamen penes DAMBSCIANA merita, omnibus titulis eminentiora manſit exceſſus. Quanta, & quàm rara, tot & tantorum Regum in unius Præſulis Honores conſpiratio! paſſim novi Principes, in eo maximè vicem Deorum adimplere geſtiunt; ut

A tribus Poloniæ Regibus ad Honores promotus.

ut novos pro libitu creent Patriæ Cives, inter quos Fasces & Præfecturas dividant; in unius DÆMBSCII multiplicanda dignitate, succedentium sibi Regum, idem fuit studium, par æmulatio. Michaël Primus dignum curulibus in Senatu judicavit, muricem virtuti contulit, & Sanguini miscuit Nobilissimo. Joannes III. dignitatibus Præsulem auxit, id est: gratiam exsolvit Gratiis: priùs quippe STANISLAUS JOANNEM, DÆMBSKI SOBIESCIUM, suô ad solium calculô evexerat, coronaverat encomiô ante Diadema; antequam JOANNES STANISLAUM, quà (ùt fasti celebrant) *sanctimonia, quà auctoritate, & facundiæ sacræ, civilisque laude, in Purpura conspicuum*, magnum hoc Regni Columen, ad prima Senatûs subsellia invitaret; justiùs equidem, quàm Mamertinum Julianus, aut Trajanus Plinium; tandem Augusti II. imperiô Præsul coactus Consulem pariter agere, & Principem. Nec mirum; decebat Regem pro sui inauguratione, tanta meritorum retributio! quid æquius, quàm ut pro Regali Diademate Augustus, quod totâ dexterâ imposuit sibi DÆMBSCIUS, & Caput Coronatoris Ducali mitra, & digitum inungentis sacrorum Antistitis, Principe Præsulum annulo, coronâsset? Sed quæ hìc Lacone facundia vix attigimus Celsissimi Avi Tui, grandia in Patriam, paria in Religionem merita, quæ ùt sui Fundatoris, Thorunense Lojolæ Filiorum Collegium in tabulis cordium exarata retinet, stylo gratitudinis amplificata brevì leges prolixiùs: ut sæpiùs tanti Viri dulci recordatione ad Tuum, vel hoc ipso nomine, gustum obveniat Panegy-

Joanni tertio Regi Poloniæ dedit suffragium ad coronam.

Załuski l. 1. Epistola 32.

Coronator Augusti Secundi Regis Polon.

ris. Properat nimirum oratio ab uno Avo ad alterum, & ab hoc rurſus abit ad Proavos, Avósque Tuos, quò transverſæ, longæ, plurimæque Majorum Tuorum viæ, illam abripiunt; nimis ſolicitam, nê, antequam ad Te deveniant, tanto itinerum tractu laſſa, in hac tam ingenti Honorum ſylva, alicubi fatiſcat. In conſpectu jam Illuſtriſſimi SIGISMUNDI ſtetit, neque tamen à Germani Fratris Celſiſſimi vultu receſſit: unus enim in alio relucebat, quoties velut gemini ſoles Palatinas, Præſuleásque Curules, æquali nominis Majeſtate, æmulis citra invidiam Purpuræ ſplendoribus irradiabant: concordésque animô & honoribus Fratres, in Senatu Conſos, in Areopago Lycurgos, maximo cultu Polonia adorabat. Agnovítque extra Hiſpaniam Grandes, extra Gallias poſſe naſci Pares, DÆMBSCIOS. Erat tamen non modica, eáque egregia, qualis Deos deceret, inter illos de Glória contentio: alteri ad immortalem famam, in Martis campo, viam per laureas ſternebat ferrum; alter ad aras, fraterno enſe profuſum hoſtium cruorem, litabat Patriæ. Ille Victore gladio pro Majeſtate decertabat; hic forti conſilio, dexteritate, Pontificio Scipione, Præſulea Cruce, adverſas acies ab Auguſti Throno propulſabat. Ille Reipublicæ, Hic etiam Religionis inimicos, monſtra hæreſum, profligabat: uterque civilem, Præſul inſuper ſacram condecoraverat Purpuram: ambo denique prima Tribunalis Regni ſubſellia, alter Præſidens, Mareſchalcus alter, repetitis vicibus pari laude, incorruptæ æquitatis, occupârunt. Hac ſacerrimæ Themidis lance, nulli, niſi ſontibus one-

Alter Avus Illuſtriſſimi Neo-Sponſi Sigismundus Dąmbski, Palatinus Breſtenſis Cujaviæ.

Bis Regni Tribunalis Mareſchalcus.

onerosa DAMBSCIORUM Decreta, aurea 973
GODZIEMBARUM sancita, toties ponderavit Polonia; ut ostenderet, semper DAMBSCIOS pro justitia judicâsse; non secùs, ac pro sua Solones Minerva, Lycurgos pro Apolline, Numos pro Ægeria. GODZIEMBIIS judiciorum Sanctuarii libram moderantibus, in terras rediit Astræa: quòd se tunc nec ad amicarum studia partium, nec ad avaritiæ delubrum, nec ad cujuspiam Pulcheriæ vultum, de Ara sua inflecti posse crederet. Inter legum folia Arbor Scientiæ, PINUS DAMBSCIORUM explicabat se pulcherrimè, Themidi in laureas: cùm ad illius mentem jus Regni interpretarentur, & ità fortiter defenderent, ac si illud condidissent. Stabat inter causarum momenta æternum fulcrum æquitatis, Tribunalitiorum germen Scipionum, Astrææ Colossus, marmoreis immobilior columnis, PINUS illa, quòd nec maximo auri, gemmarúmque pondere sinistrorsùm inclinaretur, nec ad iniquum popularis auræ susurrum propenderet: nec ullam præberet criminibus umbram, nè protegere videretur, quæ vindicis fulgorem gladii exspectabant. Jure igitur præter Palatinos Fasces, Gentilitia GODZIEMBARUM ARBOR, Vice-Regiæ in Tribunali Regni potestatis sceptrum subministravit Sigismundo, re & nomine Cardinalium Principi virtutum; qui nō creare duntaxat Reges, ast Regno etiam jura dare merebatur. Non tamen omnes, sub Tribunalitium Illustrissimi Palatini Scipionem, DAMBSCIOS convoco; alioquin illi soli, ut Heroës castra, Ministri Curias, laticlavia Optimates,

Adrianus Dambski, Castellanus Konariensis in Cujavia, Frater Palatini Brestensis.

tes, ità Judices Areopagum Poloniæ occuparent. Cæterùm à ſanguine, & gloria Fratris nullo ſe jure divelli paſſus ILLUSTRISSIMUS CASTELLANUS KONARIENSIS; Sigismundus Lycurgum, Solonem in Tribunalibus æmulabatur Adrianus: in Palatinatuum, & Generalibus Regni Comitiis, limatiſſimo ingeniorum acumine ambo Patriæ, & Familiæ Honori militabant. In caſtris ſpectabantur Germani Scipiones, in Senatu audiebant Fratres Cornelii. Et quamvìs jam Purpuratum Patria Patrem haberet ADRIANUM, adjecit Filias Lucina, ILLUSTRISSIMORUM Matres Titulorum, geminavit in duabus Paterni ſplendorem muricis. Cùm è Charitum numero altera, connubiali juncta fœdere, JOANNI KADZIDŁOWSCIO, Succamerario Inovladislavienſi, id eſt: inſerta Coronæ Nobilium Gemma; altera Gentilitio deſponſa annulo CASTELLANIDÆ Culmenſi DZIAŁYNIO, perfecit auream Fortunæ orbitam: at minimè vitiosô circulô, ad Illuſtriſſimum Palatinum redeunt lectiſſimæ ex Fratre Caſtellano Neptes; deſiderant ſuum ſequi Patruum, Tuum verò Avum Illuſtriſſime Capitanee, rectiſſimâ ad Te lineâ magnis paſſibus properantem; exambiunt comitari Fratrem, Progenitorem Tuum ADALBERTUM, maximi Patris SIGISMUNDI Palatini, Grandem Filium, Mareſchalcum Curiæ Regni. Et jam Joves in ſolis Regiam Avus, Paréns-que Tuus, in Domum Nepotis, natíque ſui convenêre! Sed quid ego Illos ad Te perveniſſe dico, qui nunquam à Majoribus Tuis longiùs receſſeras? uno ſolo temporum interjectu ſejun-

Illuſtriſſimus Adalbertus, Mareſchalcus Curiæ Regni Sigismundi Palatini Filius, Illuſtriſſimi Neo-Sponſi Progenitor.

ctis intimè ſemper adhæres ſanguine, Honoribus, amore, meritis. Auſculta tamen, quæ geſtientium voces? quæ gaudia mutuò erumpunt? altiùs ſubſilit Celſitudo Proſapiæ, dignitatis, gloriæ, in Avo Tuo: quòd illam Regni Scipio in Filio ADALBERTO evexiſſet, AUGUSTI Maximi propiùs admoviſſet ſolio; exultat Palatinus Patris Honor, jactátque talem ſe genuiſſe, qui Majorum trabeas antegreſſus, Regum fieri meruit Anteambulo; & quaſi nitidiſſimam in Reipublicæ facie cryſtallum, lucem, quam acceperat, reddidit ampliorem. Jam Mareſchalcus in Majeſtatis conſpectu, lætos induit vultus, quòd Paternum SIGISMUNDI ſanguinem hauſerit intrà venas; quò poſſent omnes tingi, & exornari Purpuræ; Illúmque Gloriæ ſuæ cenſet Auctorem, qui omnium Hæres eſt Titulorum; & Palatina Curuli eminentior ſummos etiam Regni Faſces meritò exceſſerit. Uterque tandem Patriæ Conſul, Avus, Parénsque Tuus, optimè Tibi Illuſtriſſime Domine proſpiciunt, dum in honores, laudésque Tuas conſpirant; virtutum jubar, ſplendores muricis, ILLUSTRISSIMÆ Familiæ radios, per GODZIEMBAS, LUBRANSCIOS, DÆMBSCIOS, latiſſimè diffuſos, in te, velut in centro, colligunt: à quo deinceps ad Dignitatum apices, Nobilior Archimedes, Polonus Honor, multiplices, extremósque Nepotes, id eſt: æquales primis, ſanguinis Tui ducet lineas, ut demonſtret DÆMBSCIANAM Domum primorum Lechici Cæli ſiderum ſphæram eſſe, ſerenitatum Patriam, Syracuſiâ pulchriorem machi-

nâ, præclarè factorum molem, circulum gloriæ abſque termino. Totus ille, quantus erat, Avi, Patríſque Tui ſplendor, Tuus eſt: luces ILLUSTRISSIME, Illis comparatus, ùt Parelia. Non hìc tamen ILLUSTRISSIMI Progenitoris Tui meritorum laudúmque Zodiacum percurro; ſolis enim id munus eſt, ſive Tuum: meum brevì erit; non procul indè diſſitô ſtylô ubi Te Matérque Patérque in ſublime efferent, ſereniſſima adorare veſtigia. Neque modò ILLUSTRISSIMI Progenitoris Tui Germanorum Fratrum STANISLAI, ADAMI, & ANDREÆ, in ipſo planè ad Honores exortu, fas eſt flere occaſum; cùm non bene conveniant flebiles næniæ, & gaudia Hymenæi. Unicè quoque ſtudet nunc Suada, longam Generis Tui ſeriem ad Te uſque deducere; & quamvìs ab ipſa jam Stirpis DĄMBSCIANÆ Radice, ad Ramum illum devenerit; à quo Te, Nobiliſſimum Palmitem, oſtendit orbi progenitum: adhuc tamen ad ILLUSTRISSIMUM Patruum Tuum ANDREAM, cogitur redire; nè aberrare cenſeatur, ſi ab illo deflexerit, cujus ſe Fratrem profiteri, ILLUSTRISSIMUS Progenitor Tuus, ſingulari quadam gloria ducebatur. Hunc jam in militia Hectorem ſpectâſti, & inter laticlavia Numen habes; à quo etiam meritis, titulis, anníſque refertiſſimo Senatore, Nomen ſibi præclarum vendicare poſſet Lechiæ Senatus. Fundit adhuc de Palatina curuli, quaſi de Tripode Phœbus, oracula; in Religionis commoda, in emolumentum Reipublicæ. Nempe ſibi non degenerem JOANNES edidit vocem, celeberrimum Senatorem ILLUSTRISSIMUS

Illuſtriſſimus Andreas, Palatinus Breſtenſis Cujaviæ, Filius Illuſtriſſimi Joannis Dąmbski, Caſtellani Konarienſis, Patruus Illuſtriſſimi Neo-Sponſi.

KO-

KONARIENSIS, Castellanus Palatinum. Talem futurum, primis statim lineamentis Paterna in Purpura clarissimi Natales expresserant: perficiebant tamen ANDREAM, quasi opus sæculorum, grandia diu merita; adorabant pulcherrima Reipublicæ munia in Cujavia, jam Vexilliferum Brestensem, jam Capitaneum Naklensem, tum Succamerarium; tandem CASTELLANUM BRESTENSEM; tanquam Palatinus, Trabeatorum Patrum fieret prototypon. Pristinus damnatur fastus Cæsarum, quòd succollantium Civium humeris, in solium inveherentur; excelsior, & ab omni jactantia remota, ANDREÆ Nostro manebit gloria: quod Brestensis olim Nobilitatis in Cujavia Princeps, Polonorum Quiritum cordibus, rariore Pompa, in Senatum importari spectabatur: prodromo, comite, & pedisequo insignium facinorum exercitu. Singula recensere, voluminis est, non folii: unum tamen, pro mille præclarissimis gestis, fama perrennis loquetur Zelum ILLUSTRIMI Palatini, SERENISSIMI AUGUSTI, & Reipublicæ Judicis DEPUTATI in vindicando NUMINIS, & DEIPARÆ Honore, majorem, quàm olim esse poterat, pro Aris & Focis, pro Diis Penatibus; quem si tacuero, publicum marmor prædicabit. Unum illud nunc suo Religio Defensori, castra Robori, Conso Senatus, Achilli Respublica optant, & vovent: ut diu Superi servent superstitem; quanquam, in quibus post sera fata vivat, habet, Natos, Paternæ Hæredes gloriæ. ANTONIUM, bellica Progenitoris virtus, Prodigium Heroum, lateri suo primum adjunxit:

Illustrissimi Andreæ Palatini, quatuor Filii: Antonius, Casimirus, Paulus, & Josephus.

The-

Themis quoque armavit gladiô, CAPITANEUM BRESTENSEM Cujaviæ; Minerva ingeniorum, rationúmque telis inſtruxit, in Regni Comitiis Cyneam: ut pro ſuo, Patriæ, Patríſque honore, ſtrenuè ubique decertet. CASIMIRUM Dapiferum Breſtenſem in Cujavia, Palatinæ Florem protulit purpuræ: & Regio Illuſtrem Nomine, & Principatu eloquentiæ clarum; quem AUGUSTI Throno, Lechici Senatûs ore locutum, Romana audivit Majeſtas, & admirata: quòd in Polono Oratore, rurſum Tullius perſonaret. PAULUM, Conſorte Nobiliſſima, alti POTULICCIANI Sanguinis Gemma, CZARLINSCIORUM, LIPSCIORUMque cognato decore Fortuna Orbis Poloni coronavit. Mars quoque Sarmatiæ in caput JOSEPHI laureas congeſſit: cùm DÆMBSCIOS Dii ipſi non uno cenſeant dignos diademate. Sed quouſq; in hac DÆMBSCIANA Sylva Honorum detineor? Ignoſce Illuſtriſſime CAPITANEE, quòd jam à remotioribus Stirpis Tuæ ramis, & Conſanguinitatis non una Arbore Suadam retraham; à longe duntaxat adorabit ingentia tot aliorum DÆMBSCIORUM Nomina, per Palatinatus Minoris Poloniæ laudatiſſima, id eſt, Suffraganeos Cracovienſes, Caſtellanos Woynicenſes, Biecenſes, Sierpſcenſes, Konarienſes. Quos Senatoria Curulis, vel hoc ipſo ſatìs raro ad ſidera attollit encomio, quòd illam hæreditario quaſi jure, continua laudum & annorum ſexaginta ſerie, Caſtellanam videlicet KONARIENSEM Purpuram occuparent. Hunc porrò Generis, Honoríſque DÆMBSCIANI ordinẽ, ad Te, Illuſtriſſime NEO-SPONSE,

SE, Germanúmque Fratrem Tuum, Illustrissimum SIGISMUNDUM, Capitaneum DYBOVIENSEM, qui Principum, Comitum, Trabeatorum Patrum, & Majorum omnium maximum compendium, & Corona estis, rectò nisì tramite studuidecurrere; nè obliquas hinc & indè densissimè confluentis Familiæ Vestræ Appias percurrens, Provincias cogerer & Regna peragrare. Et quamvìs omnes Prædecessorum laudes, cum præclaro sanguine, in Vestras influxerint venas; illas tamen à peculiaribus Celsissimorum Parentum, Vestrísque encomiis, velut mare unum ab altero, dividit Panegyris: ubi convenerint, facient Oceanum; qui universam ambit Gentem Vestram, immensam Honorum Sylvam. Quæ jam grandem umbram projicit in paginam, suo tamen elogiô illustrem.

Illustrissimus Sigismundus Capitaneus Dyboviensis, Frater Illustrissimi Neo-Sponsi.

ITe, monstrosorum spelæa Deorum!
Clara fabulis nemora:
Jupiter, Mars, Juno, Mercuri, sexcentáque Numina,
E truncis Phidiæ manu excitata:
Quid, nisì lignorum strues, rogô digna?
Dodonâ Nobilior, PINUS DAMBSCIANA:
Arbor una, Nemus titulorum.
Hanc dignitatum Sylvam DAMBSCII incolunt;
Ritu Deorum coli possent,
Nisì mallent viva esse, quàm ficta Honorum simulacra.
Omnibus præcelsi Genii dotibus absolutissimi,
MERENTUR:
In RADIVILIIS, *Joves Sarmatiæ adorari*;
MICHAELI I. JOANNI III.
Poloniæ Regibus Cognatione Proximi;
In LUBOMIRIIS,
Cæsariani Principes Sanguinis;
In GODZIEMBIIS,
MATHIÆ *Hungariæ & Bohemiæ Regi*,

M *Ex*



Ex CORVINIS, *Affines:*
In Senatu, censeri STATORES:
In Lechiæ Zodiaco, appellari OLYMPII:
In Castris, TONANTES *Maximi:*
Inter Regnorum Legatos, MERCURII.
Sed Nomen à commentis acceptum displicet,
Esse Dii citra superstitionem volunt;
Quales LUCINA *&* HONOR *formavit.*
Quibus ad paludotas Dignitates tendentibus,
Nè ullus in via obex esset,
Primigenius GODZIEMBA extirpavit Arborem;
Et illico plantavit STIRPEM,
Cujus deinceps Rami sufficerent:
Aureos fructus, Regibus,
Præsuleis, & Regni Annulis, Gemmas;
Senatui, Fasces;

Marti,

Marti, Serta; Minervæ, Folia;
Vel pares essent, ut jam ex illis,
Themidi, Areopagus: Palladi, Athenæ:
Honori, Templum:
Consanguineo Familiarum Cælo,
In POTOCCIIS, *quibus* THEODORUS, *Phœbus est:*
PRIMAS *Regni, Primúsque Princeps,*
Id est:
Providè à Superis concessum Patriæ,
Cælorum MUNUS;
In TARNOVIIS, DZIAŁYNIIS, OPALENIIS, PRZYIEMSCIIS, LIPSCIIS, LACCIIS, POTULICCIIS,
Solis planè Regia consurgat.
Hæc subintrantem Domûs Magnæ limina,
Secures terrent, fascésque excubantes;
Et avitæ adstat Arbori vigil Alcides.
A limine porrò adorandi, nec movendi:
DAMBSCII, *&* LUBRANSCII.
De curulibus Majoris Minorísque Poloniæ,
Omnes de Gente hac HONORII, *&* MAXIMI:
Etiam laudibus attolli se non sinunt;
Labor hic Herculeus est.
Ipsi tamen Cruces sufferunt Præsuleas,
CRACOVIENSES, CUJAVIENSES, POSNANIENSES,
PŁOCENSES, LUCEORIENSES, CHEŁMENSES, EPISCOPI:
Atlantis humerô Senatorias attollunt Togas,
POSNANIENSES, CALISSIENSES,
BRESTENSES *Cujaviæ* PALATINI:
JUNOVLADISLAVIENSES, WOYNICENSES, KONARIENSES, CASTELLANI;
Clavas, Scipiones, Signatorios gestant Orbes;
Ut palàm sit:
PINUM DAMBSCIANAM
Nec sexcentorum temporum dente arrosam,
Novis in Annos, quot Ramis, tot Meritis
revirescentem,
In SYLVAM crevisse HONORUM.

ET adhuc ultrà creſcet; quæ deputari non timet: nunquam illa dignitatibus DĄMBSCIANIS in terminalem degenerabit columnam; quos jam à Senatu ad Solium provehunt merita, in Celſiſſimis Majoribus, Regum Poloniæ Coronatoribus, JOANNE Poſnanienſi: STANISLAO Cracovienſi: Præſulibus. Rectè Miniſteriales annulos, minores veluti coronas, LUBRANSCIANA, DĄMSCIANAque dexteritate ſtrictiores dixerim, quàm Regum etiam diademata ambire videbantur; & manum, omnium Regni Faſcium capaciſſimam, ſceptra depoſcere. Non illa quidem diu tenere, quamvìs mererentur, à libidine dominandi alienos, Sacrorum Principes decebat; in orbis tamen æſtimatione, perinde erant Regum Inauguratores, ac ſi regnâſſent; quòd dignis imperia detulerint. Imò Magnò Alexandro, & Auguſtiſſimis Pares, aut Majores, cenſuit Reſpublica, cùm ante illos genu inflexerit gemina Majeſtas; priùs quàm in throno conſediſſet. Digna coronis omnibus Præſulum demiſſio, quæ ſe Regno, quod aliis conſecravit, abdicârat. Quos tamen illa fugere conſtituit, aſſecuta eſt Honores: & LUBRANSCIANAM, DĄMBSCIANAMque Domum in ſolis Regiam commutavit; unde in ſuam inaugurationem educti Principes, ſubitò apparuerunt Reges. Jam ſcire vellem, plúsne lucis acceperint Sereniſſimi ab Illuſtriſſimis Inauguratoribus ſuis, quàm Illuſtriſſimi ex comitatu SERENISSIMORUM? Adſunt ALEXANDRI unus, AUGUSTI, gemini GLADII; reſcindant nodum,

Joannes Lubranski, Epiſcopus Poſnanienſis, Alexandri Primi; & Stanislaus Dąmbski, Epiſcopus Cracovienſis, Auguſti Secundi, Coronatores.

ve-

velut Gordium. Decidant pro æquitate Majeſtates : aut STANISLAI Fama, quæ Lechicus Orbis ſentiat, divulget. Deciſum eſt! æquali utrinque lance, Regum & Præſulum librari Honores. Ducum tempora, mitræ & laureæ: Antiſtitum frontem Infulæ præcingebant: deſiderabantur adhuc coronæ; & cùm Pontificias movere de vertice tiaras non auderent, ad manus Præſulum devolutæ; has Sereniſſimis Capitibus impoſuerunt Pontifices, & fecerunt Coronata. Liberalior verò AUGUSTI dextera Ducali mitra rependit diadema; ac DAMBSCIUM, quòd ſe ad ſolium evexiſſet, voluit eſſe CELSISSIMUM. Ità Reges honorabant DAMBSCIOS! erigebant, cùm Capita Illis ſubmitterent; ut, quamvìs uno minores diademate, altiores tamen tunc eſſent Majeſtate. Quid? quòd eodem planè ad Aras juramento, in JOANNE & STANISLAO Patriæ, & DAMBSCIANÆ Stirpi, Regiam fidem Principes obſtrinxerant: ut illius videlicet jura, hujus gloriam tuerentur; cùm pari ad Crucem Præſuleam, adjecta Religione, Regali tæniæ obligatos viderent DAMBSCIOS. Verùm aliqua ſpecies interceſſit diſcriminis, inter ejusdem Generis, id eſt: fidi ſemper Regibus, Inauguratores, LUBRANSCIO pro ALEXANDRI Principatu, ferrei campum certaminis ſuſtulit aurea Pax, & Concordia. Polonæ Aquilæ, amoto fulmine, Jovi ſuo prævolabant; cataphracto LITHVANIÆ Heroi, nullus, contra quem ſtringeret chalybem, in Regia Via occurrit hoſtis: ac ſi omnes cum JOANNE Charites coronâſſent Principem. Non hæc ſors, illa temporũ tempeſtate, DAMBSCIO

SCIO contigit: quâ vix gemini SAXONIÆ mucrones ſuffecerant, ut facilem DUCI ſuo ſternerent viam ad ſolium; cum bellico turbine POLONIA, velut altera fumabat Troja, ad excitatos à tot adverſis Martibus, ceu totidem Vulcanis, ignes; ſuam interea fidem erga Regem fuiſſe auream, clarè comprobaverat Præſul. Genuina Martis Lechici Soboles prodigioſi Herois GODZIEMBÆ vera Propago, Tonanti Poloniæ impoſuit diadema; unxit Principem Athletam, agiliorem deinceps futurum ad prælia; quaſi præſaga mente, ſanctior VAVELLI Antiſtes, alter STANISLAUS, perſpexiſſet; quòd illa non parvi momenti bella, diſcoloris Saxoniæ campi, longam aliquando paritura eſſent Sarmatiæ pacem. Vidiſſem tunc PINUM DAMBSCIANAM, non ſecùs ac Æliani arborem horrenda infelicitatis publicæ nocte, ſideris inſtar, effulſiſſe Patriæ; aut Plantæ illius traxiſſe naturam, quæ Indis ſolis ſpeciem refert; & ità ſplendores aſſurgentis, creſcentíſque folii accommodat, ut ſol in ea accreſcere etiam videatur. An equidem non Regni Poloniæ ſoles, DAMBSCIANA Arbore, ùt Phœbi Coloſsô ad ſolia provecti aſſurrexêre? ità ſanè: hoc olim in LUBRANSCIO & DAMBSCIO ſpectavit Lechia & Saxonia; id quoque in icone ſaltèm habeat poſteritas. Sæcula indè menſuram accipiant CELSISSIMÆ Stirpis DAMBSCIANÆ.

Plinius.



HUc convolate Regni Aquilæ!
Joves Vestros coronant DAMBSCII;
Nobis ad Illorum elogia pennas concedite:
Vos in Celsissima PINU consistite:
Hinc facilis in solium volatus.
Si placet.?
Ad Lechiæ Serenissimos Soles explorate fidem:
Hoc, etiam illi, assurrexêre Colosso.
Debentur Vobis diademata?
Ante LUBRANSCIUM & DAMBSCIUM,
Cum ALEXANDRO, & AUGUSTO,
Demittite priùs capita;
Ut erigatis CORONATA.
Thesaurum Lechiæ, Fortunam Poloniæ, Orbes aureos,
In manibus quærite DAMSCIANIS;
Et grato pectori tandem admovete PINUM:

Quæ aurea Regibus peperit POMA.
Permittimus tandem,
Cum Principum Familia, Volucrum Reginæ,
JOANNI, *&* STANISLAO *juratæ;*
Evolate jam in altum:
Implete magnis clangoribus orbem;
Audiant Regna:
Inauguratores Regum fuisse DAMBSCIOS.
Ut constet, quanti sint?
Cùm sceptra illorum magnitudinem metiantur;
Quibus, & Regum, & Patriæ, & suam
Felicitatem erigunt, ac fulciunt.
Ornant Majestates, & ornantur ab Illis.
Excelsiore tamen animo solia transcendunt,
Nimirum frontem Principum coronant:
Coronas non ambiunt;
Quamvìs fortissimi de Gente GODZIEMBARUM *Viri,*
Aureas, Civicas, Murales, & omnes mereantur.
Malunt dignitatibus Patriæ servire,
Optimis Illam Regibus augere,
Quàm regnare.
Ut plus Illis semper Patria debeat;
Quàm ab illa acceperint.
At REGES deducti ad Thronum,
Abire à latere suo DAMBSCIOS *non sinunt,*
Nisì viâ Regiâ, ad Honores.
Sceptra, fascibus: diademata, mitris rependunt:
Pro fructu aureo, sementem reddunt titulorum.
In suo Exortu accendunt Illis
Meridiem Dignitatum, Serenum gloriæ:
Sidera, & Reipublicæ, & Coronariæ Stirpi
SALUTARIA.
Regales Purpuras ad vicem folii, explicant;
Immortalibus Nominis DAMBSCIANI *Fastis*
Inserendi.
Agite DAMBSCII!
Diem CORONATIONIS
ALEXANDRI I. AUGUSTI II.
Inter Festa Palatii
Reponite:
Pares, vix sæcula conscribent, ANNALES.

Sed

SEd pennam meam, Celſiſſimi AVI Tui, STANISLAI Præſulis, Illuſtriſſime Neo-Sponſe, liberalis in Filios IGNATII dextera adhuc detinet, ad Te aliàs, omni niſu, feſtinantem. Nullum equidem reor, ùt in Cælites, ità & in terrarum Deos, crimen poſſe contingere gravius, quàm reportata patenter beneficia, ingratæ mentis oblivione obruere. Certè ſtylum, ſi Fundatoris non attingeret laudes, lapides ipſi retunderent; & planè ignoro, qua fronte Orator pupillam defigerem, in ædis ampliſſimæ, quam incolo, primam faciem? ſi hìc lingua obmuteſceret: ubi illa licet elinguis, eloquens eſt; illud de Publico pariete, velut de Cathedra Demoſthenis, Urbi & Orbi Lechico, promulgans:

Celſiſſimus Stanislaus Dąmbski, Epiſcopus Cracovienſis, Fundator Collegii Torunenſis Societatis JESU, Anno 1702.

CELSISSIMUS PRINCEPS
D. STANISLAUS *in Lubraniec* DĄMBSKI
EPISCOPUS CRACOVIENSIS, DUX
SEVERIÆ.
Societati JESU *hoc Domicilium,*
Religioni propugnaculum,
Gloriæ ſuæ perenne monumentum,
Magno ſumptu, majore Gloria, maxima ædificatione,
Erexit.

IMò ipſi JOANNES & IGNATIUS Diviniſſimi, pro ſua quaſi Domo agunt Oratores; cujus inquilinos, Ille è propinquo in ſacra Æde ſua, Apoſtolici laboris: Hic Zeli ſui gloriatur habere Socios; & uterque Architectam Principis Noſtri beneficentiam, Cæleſtibus linguis dilaudat. Curam illi quoque ſuam Munificentiæ STANISLAI adjicient; ut quam æquè amplam, ac firmam, Cracovienſis Petræ ANTISTES poſuerit molem, inter turbidos quandoque vicini Viſtu-

 læ

læ fluctus, ſervent immobilem. Celebramus ergo aurea in IGNATIUM Fundatoris beneficia, quoties illa memoramus; ad Ignem à DEO illatum, & ad tot Lydios Ædium Noſtrarum lapides, abundè comprobata: quorum nullus terminum ponet gratitudini, quia Præſul, Columna Fidei, omnem movit: ut militanti pro Eccleſia Societati JESU, munimen erigeret; adverſo, etiam ad avitas Urbis Portas, Annibali formidandum. Jam Pallas Noſtra DÆMBSCIANUM Collegium diſerto quotannis ore, in Tullii Roſtris percelebrat; & pro Pyrrhi circulo, Præſuleum, id eſt: Doctoralem præferet annulum; cui Muſæ omnes cum Apolline, quaſi ſolio inſederant; vel quem, ùt Delphicum Numen, PRINCEPS Antiſtes, explanatione Scripturarum, limati ingenii perſpicaciâ, Sapientiæ luce, hactenus irradiat. Et quidnî noctes Atticas ſerenaret, Clariſſimus Munificentiis, & Scientiis Præſul, qui Regna & Orbem Nominis, Famæ, meritorúmque ſuorum

Merita Celſiſſimi Fundatoris, in Patriam, Religionem, & Societatem JESU.

ſplendoribus implevit? Unde iterum DÆMBSCIANARUM laudum dignitati adjicitur, Honore laudantis Patriæ, & Religionis. Illa Præſulem, cùm publicis negotioſùs vacaret commodis, Reipublicæ natum aſſerebat; hæc, quoties feriatum videret, DEO; illa, GODZIEMBARUM de Gente Infulatum Principem, an galeatum Heroëm, dum ad certamina cataphractum Militem impendiis ſuis animabat; hæc STANISLAUM, ad Aram Fidei Orthodoxæ litantem Legionis ſuæ triumphalem ſanguinem contuebatur. Tempeſtate illa Dux & Antiſtes colebatur, velut in tutelam Lechiæ demiſſum cælo Palladium; cùm Pontificia mente, ſanctius invicti

Nu-

Numinis ſimulacrum, extra Ilium conſtitit; & ad nutum Vigilantiſſimi pro Rege, & Grege Paſtoris, de victorioſa PINU ſurrexit exercitus haſtarum, in ſuppetias Gladiis & Coronæ AUGUSTI; donec illi primordiis planè lethale, in vitale commutâſſet pomum. In quot ſe tunc figuras, bono Publico formabat DÆMBSCIANA Arbor? exaruiſſe videbatur inter tot turbines & procellas Heroum animus? effloruit illa in trophæum: nutabat ſolium? fuit illa fulcrum: concutiebatur bellis Polonia? trementem ſtabilivit immota; & cùm jam dolor, livórque quaſi ultimam cruenti naufragii tabulam, extra Regnum cum Majeſtate deduceret, apparuit ARGO; non rapto, ſed ſervato aureo Vellere Nobilior; digna ſideribus conſecrari. Nec ſinè Urbis & Orbis comitatu, reduxit in Saxoniam Antiſtes Illuſtriſſimus, Sereniſſimum: Roma illico Regem, Regíſque Comitem laudibus proſecuta; meruítque Latio inclaruiſſe DÆMBSCIUS, quo Palinuro, Cymba PETRI, in Heterodoxi Principatûs Portu, ad veritatis ſcopulum, innoxia viſa eſt conſtitiſſe. Hìc jam ùt Regni, ità elogiorum limites exceſſit laudatiſſimus, in Religionem Præſulis Zelus; quoties Gens illa, quis ediſſeret? nè diutiùs vivat acephala, Hortatorem habuit STANISLAUM; quoties pro priſca Fide locutum, velut è ſuggeſtu Paulum audivit? & mirata eſt Sedes Petri, Antiſtitis Poloni ore, extra Græciam, Chryſoſtomum: extra Latium, Auguſtinum, pro avita Religione, in medio perfidiæ, tanta libertate perorâſſe! Obmuteſcat hìc ſtylus, ratio tacendi adeſt; ſatìs jam Roma locuta; quot verba, tot oracula de DÆMBSCIO,

Innocentii BREVE laudavit Zelum Celſiſſimi Epiſcopi Cracovienſis.

SCIO, profudit à Tyberi VATICANUM : & INNOCENTIUS à prolixis nos laudibus retinet; quas ùt Iliadem in Nucleo, in BREVI Pontificio conclusit. Inserite BREVE istud, Domûs Vestræ Annalibus, DÆMBSCII! tam luculentæ Celsissimi PRINCIPIS ex Cathedra commendationi, nulla par Panegyris ; elogiorum omnium summa est; fidem habet à manu SANCTISSIMI; pretium ab Annulo Piscatoris. Si tam gloriosa egerat pro exule Religione in Principatu illo Orthodoxus Præsul; quantum illius commodis invigilaverit; ubi Patriam nacta, quos sudores eliquaverit in propaganda Fide? Qui in gemmas coaluêre non unius Pontificii Tiaræ. Longum esset ire per singulas, quas regebat, Diœceses, & ubique vestigia pietatis, providentiæ, liberalitatísque Religiosissimi Antistitis relegere: subsistere cogeremur continuò, jam ad valvas Ecclesiarum, Fundatricem Godziembæ PINUM adoraturi; jam ad nova, in Numinis, Divorúmque Honorem atria à DÆMBSCIO consecrata; & ubi tantùm Præsul plantam fixerat, dilatantis se Ecclesiæ Plantam miraremur designatam. Ad Balthidem dictio refunditur, dicat Emporium Prussiæ Gedanum, in quod infanda Mennonis colluvies influxerat; quàm exquisitâ Judex Infulatus solertiâ, fundum illius scrutatus, nè intrà viscera fallacis sectæ fortè lateret Arrius, pridem Regno profugus? Diem tenebris dixit DÆMBSCIUS, latebras discussit, ad Fidei Professionem impulit, ipsámque lustralem Mennonis undam repurgavit. Tanti erant pro DEO, & vera Religione Præsulis Nostri progres-

greſſus; tam celeres in Fidei commoda motus, ut aſſequi laudes nequeant. Lætabatur proinde IGNATIUS in benevolo tam magni ſideris aſpectu, ſuam obverſari Societatem; & decrevit, immortalem gratitudinis lucem, ſuis alere favillis. Abiverat in cineres, neſcio, quo fato? noſtrum extra Gedani portas Templum, ſurrexit illuſtrius, beneficentiâ Antiſtitis: & ampliorem condidiſſet molem intrà Urbem; niſi hæc pati potiùs exules, quàm habere Concives maluiſſet. Sacellum tamen Nobis Regium addixerat, illius ſcilicet Petræ veſtigia, ſupra quam fundata Eccleſia, omnes furentis maris fluctus ridet. Jam ab Oriente Barbaricus erumpens turbo, expugnatô Camenecô, diſſipaverat Socios, collegit Paterno ſinu Beneficentiſſimus Præſul: Tertiæ Probationis Domum Noſtram, pro DÆMBSCIANA Dignitate, Kaczkovienſi excepit palatio; & inter egregia negotia providentiſſimus Antiſtes habuit, ut omnes affluerēmus commodis, quaſi in Patria, non in exilio commoraremur. Habemus gratias DOLOROSISSIMÆ PARENTI, quòd olim exulibus ſuis tam bene proſpexerit, cùm Maternas curas, veluti cum communi Societatis Pâtre, Præſule DÆMBSCIO diviſerit. Sed heu! quantum cordi noſtro inflictum vulnus, quòd tam citò hanc Nobis, Religioni, Patriæ animam eripuerint fata, ut Cælis reddidiſſent celeriùs. O quanto commota dolore Collegii DÆMBSCIANI fundamenta, hac PINU ſecuri Parcarum percuſſa! Legant ergo mœrores noſtros ſæcula, quos læſi exaramus in marmore; ſed legant & ſolatia, quæ in tabulis cordium ſcribimus.



QUò erigeris Moles?
Rues, collapsa Fundatrice PLANTA.
An mox à morte chari Præsulis,
Non in sepulchrum Niobes componi debueras,
Cùm Incolæ tui obriguêre mœrore?
Ingemuimus velut sub sylvarum strage,
Oppressi fato Præsulei GODZIEMBÆ!
STANISLAI *lethum senserunt Reges,*
Ac si totus in uno Principe exspirâsset Orbis:
Intremuit Patria, suo corruente Patre;
Nos ipsi staremus hac ruina immoti?
Ædium nostrarum Fulcrum concidit,
Quidnî concuterentur dolore?
Manebunt tamen firmiores:
Bene DAMBSCIANIS *oneratæ gratiis;*
Pro ponderoso animi Deposito,

Æter-

Æternâ Aurei Principis memoriâ,
Pro laminis aureis,
Perenni gratitudine flagrabunt tecta:
Vicem redditura Principi DAMBSCIO,
Qui cineribus suis fovet ignem LOYOLÆ:
Hos CRACI *Regia habeat sub Clavi* PETRI,
Nos in pectore, Amori nostro,
Erigimus Mausolæum:
Aut gratum Phœnici Familiæ bustum.
Non enim integer Orbe Polono excessit STANISLAUS,
Magnam Nobis sui Partem reliquit,
In beneficentissimis NEPOTIBUS.
Nam intremuit quidem GODZIEMBIANA PINUS,
Avulso Principe Ramo:
At non corruit;
Cui mox Lucina & Fortuna substituit duos,
ANTONINUM, & SIGISMUNDUM;
Ut Celsissimæ Consanguinitatum Arbores
Avulsione renascantur.
Excrescunt jam in fulcra Familiæ,
Plantæ marmoreos inter Colossos reponendæ:
Quid, si una Domus Nostra casum metuat?
Concutiant freta Aquilones, evertant robora:
Hanc nullus turbo movebit;
Ventis PINUS resistit: Plinius.
Et Cælestibus STANISLAI *suspiriis obsecundabit Boreas.*
Folium, quod procella rapit, tuetur vites ab æstu:
JESU *Vineam plantârunt* DAMBSCII,
Et projectu munificarum Frondium protegunt;
Ramos Arboris circinant in orbem,
Ut nos ex omni parte à tempestatibus muniant.
Loquantur ergo singula de pariete saxa,
Fundatricem Præsulei GODZIEMBÆ *Stirpem,*
Quòd se totam in emolumenta illarum exporrexerat.
Ad basim misit radices, & excrevit sæculorum opus!
Tota mole illud fulcit, ruinam nè metuat;
Gemmeum fundit succum, ut inquilinos alat;
Apud quos, quævis stilla pondus habet:
Se totam ampla Propago in tutamen explicat;
Ut Fundatrix protegat ARBOR.

Reſtat :
Ut DAMBSCIANÆ *munificentiæ memoria*
Nunquam ſylveſcat.
Malè inſepeliuntur oblivioni immortalia beneficia.
Sub Gratioſiſſima itaque umbra proſtrati,
Votum PINUI *Fundatoris incidimus :*
Ut Nobis, & Patriæ,
Virtus Florentiſſimam,
Honor Celſiſſimam,
Religio ſervet Perennem.

Laus Illuſtriſſimorum, Neo-Sponſi, ejúsque Fratris, ex Patre atque ex conjunctione Familiarum cum Stirpe Dambſciana.

HÆc ſunt, Illuſtriſſime NEO-SPONSE, Tua, dum Celſiſſimi Avi Tui pro Religione, & Republica præclarè geſta, quæ ſpectatorem habent orbem, nisì ad ſolem cœcutiat; hæc ſunt à Te, dum ab Illo, in nos congeſta beneficia : qui Fundatorii ſanguinis, aut Altum es, aut Gemma ad Coronam Majorum. Adhuc in Patrem, Matrémque Celſiſſimam defige obtutum ; ut Te, quantus ſis, in imagine, à qua minimè abludis, reſpicias. Jam quidem in trophæorum, & Honorum Dodona, Jovem Tuum ſpectâſti Phœbe; nunc in magno Conſanguineorum Concilio Deorum conſidentem intueberis. Quanquam abſque comitatu Numinum Patriæ, nulli ſpectare licuit Progenitorem Tuum, MARESCHALCUM Curiæ Regni, qui Majeſtati AUGUSTI, ùt olim Alexandro Epheſtio, adhæſerat. Cùm verò confœderatæ Reipublicæ Mareſchalcum ageret, ùt Marte progenitus, nunquam ſinè triumphis viſus : ducatum præbebant laureæ, ſequebantur victoriæ. Scipionem, quem illi Honor ex avita Arbore efformaverat, ubique adeò dexterrimè præferebat; ut ſceptris ſuppares animos gerere videretur. Nihil auſa excelſum Fortu-

tuna, nihil dignitas summum jactare, quod in suæ fulcra Magnitudinis subjicere non posset. Neque formidandum erat Patriæ, nè Hic aliquando succumberet, cùm publicam Regni salutem tractaret; qui maximo etiam oneri pares, post Atlantem, & Alcidem, humeros suggessisset. Prævolavit præcelsus Paternus Scipio Magnitudinis Tuæ molem, ad summa in Republica præmia, Nate ANTONINE; Tibíque, ac Illustrissimo Fratri Tuo, SIGISMUNDO, designavit Appiam, quâ sit eundum ad fastigia dignitatum. Ad thronum Lechiæ erexit utrumque, ut essetis propinqui Regibus. Quid enim Vos hìc divellat Panegyris? quos natura & amor, adamantino nexu conjunxit. Paucos habent sæcula Orestes, Pyladésque amicos; pauciores Jupiter Castores, Pollucésque Natos; quibus cor & mens eadem esset; germana pax, prima hæreditas; neque alter felicem se crederet, absque altero: inter hos concordes Deos adlegi mereremini, nisì quòd veritatem factis, non figmentis, comprobetis. Est tamen inter Vos pulcherrima contentio de gloria, alter alterum excedere nititur æmulatione Majorum, rectè factorum amplitudine, præcellentissimæ refusione virtutis, pro Principe hausto sanguine; & à tam glorioso certamine victor uterque redit, & victus: id est: æquè licèt Celsissimis animi dotibus, ac numero pares sitis; pares tamen Vobis non inveniri, vel ipse numerus subscribit. Duo Illustrissimi Fratres, turba Patrum estis; exercitus Purpuratorum: Atlantes Familiæ. Decurrite, parelia, Lechiæ zodiacum; successores Paternæ gloriæ; ex maximis, editi ad summa. Gemmæ estis ARBORIS avitæ; quæ

996

ſterileſcere nunquam poterit: dum illi irrigandæ, præter domeſticum muricem, ex toto propê Polono orbe, Principum Proſapiarum altus ſanguis illabitur. Primus ſe in fronte Celſiſſimæ SPONSÆ Tuæ repingit, Illuſtriſſime CAPITANEE, LUBOMIRSCIORUM SRZENIAVA. Jam alia ex ordine conſanguinea decora, POTOCCIORUM Cruces, Zamoyſciorum haſtæ, Sapieharum, Dzialyniorum, Kadzidlowſciorum, Trzebuchowſciorum, Zakrzevſciorum ſagittæ, nobiliſſima Martis, Honoriſque trophæa, Arbori DĄMBSCIANÆ affiguntur. Cujus ad cælos uſque attollunt faſtigia, Kraſinſciorum, & Koſtkarum ſoleæ, dum ſe in coronam refingunt; ut pateat, à Divis Majoribus conſanguinitatis lineam ducere DĄMBSCIOS; virtutíque illorum affinem Olympum ſtare in meta, & fundamenta Familiæ in alto eſſe poſita. Wolſciorum quoque Roſæ, Flores Purpurarum, in ſerta ſe ſinuant, non uno diademate dignæ Domui DĄMBSCIANÆ. Aureos Arboris fructus, GNINSCIORUM Draco, SZCZAVINSCIORUM, ZAREMBARUMque cuſtodiunt Leones. Quid verò eſſet, POTULICCIOS, PRZYIEMSCIOS, LIPSCIOS, KOSCIELSCIOS, GARCZYNIOS, SŁUCCIOS, DĄBROVSCIOS, BORUCCIOS, PODOSCIOS, WŁOSTOVSCIOS, CZAPSCIOS, DZIEWANOVSCIOS, MIECIELSCIOS, & plurima alia colligata Nomina retexere? niſi orbem Polonum hac concludere pagina. Imò clariſſimæ Stirpis DĄMBSCIANÆ Fama, cum Principe Aquila Celſiſſimæ Matris Veſtræ RADIVILIÆ, Illuſtriſſimi ANTONINE, & SIGISMUNDE, ultra

Celſiſſima Adalhedis Cæcilia Radivilia, S. R. I.

Re-

Princeps, Mater Illuſtriſſimi Neo-Sponſi, & Sereniſſima cum Michaële & Joanne Regibus Poloniarum Cognatio.

Regni limites provolavit, & totâ planè Europâ, Gentilitiis percrebuit lituis. Sed an non ſupervacaneum eſſet, antiquitatem, ſplendoréſque RADIVILIORUM, à JULIANO poſt PALÆMONIA ſceptra, DORSPRUNGO, Magno Duce Lithvaniæ, & ſeptem aliis DORSPRUNGIADIS Ducibus, ſenis deducere ſæculis, ad NICOLAUM primum RADIVILIUM Ducem, & Principem, Palatinum Vilnenſem, & Supremum M. D. L. Cancellarium, Anteſignanum jam Palatinorum, & Antiſtitum Vilnenſium, jam Cancellariorum, & Ducum Exercituum M. D. L. jam Pro-Regum Livoniæ; cùm orbi notum ſit, nec nominari poſſe RADIVILIOS, nisì Maximos Duces, Regibus ſuppares. Oculos proinde intendite, Illuſtriſſimi Capitanei, quo Vos RADIVILIA Matre Progenitos, Principis Aquilæ natos, jam CATHARINA SOBIESCIAS, jam FRANCISCA KORIBUTHIS, WISNIOVIECCIÆ Mitræ Filia, Regiæ Neptis Coronæ, RADIVILIORUM Sereniſſimæ Conſortes, deducunt? ad Affines Sarmatiæ Regni ſoles. Regum murex cum lacte, & ſanguine Materno in Vos transfuſus. Memorémne adhuc RADIVILIANO & Veſtro ſplendori Cognatione fœderatarum jubar Familiarum? Ducum CZARTORYISCIORUM, SANGUSZKORUM, ZBARASCIORUM, Illuſtriſſimorum SIENIAVIORUM, TYSZKIEVICCIORUM, DONHOFFIORUM, innumerorúmque cæterorum? omnia deberem primæ Magnitudinis ſidera decurrere: ſi Alitem RADIVILIORUM, Serenitates cognatas circumvolantem ſequi in animo conſtituerem. O Fortuna! ô præpotens Domus DAMBSCIANA! Oceano cognati Sanguinis Regii circumfuſa, Principum vallata exercitu! O par Nobiliſſimum Fratrum! quos Patris PINUS, Matris Aquila efferunt in altum gloriæ. Penna Oratoris, excuſſis plumis, impar volando, ad Plantam cadit Fundatoriam, cum Celſitudinis Veſtræ encomio.



Est in LECHIA

STIRPS ILLUSTRISSIMA,

Radicem fixit in terra,

Et ſexti ſæculi progreſſu creſcit;

Sidera tangit vertice,

Et nondum habet creſcendi modum.

Omne ROBUR DODONÆ *ſuperat,*

Intrà venas continet Deorum ſanguinem,

Et Leoninam medullam.

Quoties gemmare videtur,

Ipſa ſibi ex auro ſtamina ducit;

Uniones verò, quos parit,

Inducit pretioſo filo Fortuna,

Servat Honor, Coronæ.

Quidquid Jupiter, Mars, Mercurius,

Manu geſtant;

Præfert:

Com-

Complectitur, quidquid excelsum Regna habent.
Ad portum Purpurei Maris protensa:
Societatem Sanguinis iniit cum Celsissimis Alitibus,
Quarum Viæ,
Omni fastigio terrarum eminentiores:
Ex Alto, ad solem, educunt Natos;
Et Paternos splendores MATER *reddit serenissimos.*
Problema est:
Pro Oedipo, Cortinam Apollo pandat.
Ostendat in icone par Nobile Fratrum,
ANTONINUM, & SIGISMUNDUM
Ex DAMBSCIIS, RADIVILIIS, LUBOMIRIIS,
CELSISSIMOS;
Genere, & Consanguinitate Prosapiarum,
PROBOS, Duces, & Principes,
DIVOS Reges & Cæsares,
Optimos Patriæ Patres,
Sanctorum piam Propaginem.
PINUS *Patris Celsitudine immensa,*
AQUILA *Matris, Firmamenti Sidus,*
Pro securitate Patriæ excubans:
WISNIOVIECCIANÆ LUNÆ *Affine,*
SOBIESCIO, *Lechiæ* SOLI, *Cognatum;*
Inter tanta nidum locat Astra!
Quò evolatis RADIVILIANÆ *Aquilæ* NATI?
Non jam ignoro:
Progressum DAMBSCIANÆ *Arboris, in Honorum fundo;*
Viam Navis Cæsarum Fortunæ, in Alto SRZENIAVÆ;
Semitam RADIVILIANÆ *Aquilæ, in Cælo Lechiæ;*
Lunæ VISNIOVIECCIÆ *Cursum, in Zodiaco Regni;*
DUCUM, PRINCIPUM, REGUM,
Nota sunt itinera.
His, ad omnia summa in REPUBLICA,
Ad Fortunatiores CANARIIS *Insulas,*
Ad augem, & Plenilunium Fortunæ,
Ad primorum Sarmatiæ Siderum splendores,
Tenditis DAMBSCII.
Etiam immortalitatem Gloriæ transcendite!

Hæc

Laus peculiaris Illuſtriſſimi Neo-Sponſi.

HÆc eſt Honorum & meritorum DAMBSCIANORUM ſylva, ILLUSTRISSIME CAPITANEE, quam Tuorum quoque magnitudine meritorum, quamvìs jam ſatìs adauctam adverteris, adhuc tamen Te ipſo latiùs excreſcentem, peculiariter videas; florentiſſimarum virtutum, dignitatíſque Tuæ, defixis altiſſimè radicibus. Primam Nobiliſſimæ Indolis Plantam nativo quaſi ſolo, illa vicem gratitudinis redditura Pallas, ſuis inſeruerat Lycæis; cui Fundatoria priùs DAMBSCIORUM PINUS, ſe

In Collegio Dambſciano Torunenſi Societatis JESU Studiis dedit operam, cum Illuſtriſſimo Fratre Sigismundo.

in vernantiſſimam explicaverat SCIENTIÆ ARBOREM; niſì quòd mala non pareret unquam, præterquam aurea: & prægrandes, optimósque ad guſtum eruditæ Patriæ fructus proferret. Gloriabatur primo ætatis Tuæ Flori, non immaturo Sapientiæ, devinctiſſima Godziembarum Stirpi Minerva, non vilem herbam, ſed regale folium, laureáſque Sapientûm porrigere; qui jam tunc omni ſerto dignius Caput proferebas, & quævis de Tuo vertice cogitatio prodibat coronata. Veritatem, non alatâ famâ (cujus levitatem à moribus Tuis excluſeras) aut diſſitis à memoria noſtra faſtis, ſed proprio firmamus experimento; cùm Te, ac Illuſtriſſimum FRATREM Tuum, inter literaria & abdita curarum, publico formari commodo, aut intrà Academicas Umbras, geminos ſoles, adhuc poſt Delphici Numinis ſiparium, ſpectare licuit: qui deinceps non Atticas duntaxat noctes in diem verterent, ſed Lechicum Orbem, conſiliis, meritis, tituliſque ſerenarent. Acceſſit ad Veſtræ Stirpis gloriam, quòd ſe æquè in faſtigio, ac in planta floren-

rentem exhibuerit: nec unquam ſpes ſolùm maximas creſcendi, in ornamenta Reipublicæ promitteret; quin ſtatim Muſis doctas frondes, non unam Probitati palmam, laureatos Marti ramos, Senatui faſces, ab ipſa radice porrigeret. Ad ſua ergo ſe antra referant Athenarum noctuæ, ad Torunenſe Lycæum ab altiſſima Propagine advolârant RADIVILIANÆ Aquilæ Nati, quos ſuo fovit ſinu grata Minerva; quòd ab illis plus lucis & gloriæ traxerit, quàm ab alumno Hercule nobiles Thebæ. Sed cum Vobis, ILLUSTRISSIMI DOMINI, pulchro ſemper conjungi fœdere ambirent Pallas, & Honor: hic Vos Muſis tandem eripere conſtituit; quaſi ignarus, quòd ubique illas docto vertice, quaſi Pyrrhi annulô circumferre geſtiatis. Hinc, citra aſſentationis fucum, jam Vos video, Oratorios campos, & laudes; Capitaneos verò Honores, annos comitiali præſcriptos lege exceſſiſſe: adeò erant feſtini, ut maluerint in illam aliquantùm peccare, quàm in Vos. Ab omni tamen illos culpa favor abſolvit Regis Sereniſſimi; qui DAMBSCIOS novit fuiſſe ab ipſo ortu Illuſtriſſimos; nec minoribus Poſterorum annis, quidquam detrahi debere Majorum meritis; quæ vaſtiùs in Nepotibus excreſcunt. Tunc ſe attingere Cælos Capitanealis Dignitas arbitrabatur, cùm illam ad omnia ſumma GODZIEMBÆ non unus apex proveheret; exſiliebat gaudiô, quoties in Veſtri cultum proſterneretur. Et quia alterius ſateri ùt JUNOVLADISLAVIENSIS Aſtreæ ferrum; alteri aureum DYBOVIENSIS Præfecturæ decus, ùt Ganges Hydaſpi adhæſerat; etiam

A ſtudiis reditus Illuſtriſſimorum ad ſuos Capitaneatus, Junovladislavienſem, & Dybovienſem.

1002

Iter ad exteros.

extra Patriam ivit Vobiſcum Honor: ſecutus Principes Aquilas, ad peregrinum ſolem, & in publicam lucem evolantes; comitatus DÆMBSCIANUM Nomen, & Patritias, quas per aliena circumferebatis Regna, virtutes. Praga primò glorioſiſſimam Adoleſcentiam Veſtram, quaſi novam felicitatem ſuam demirari longiùs anhelans, aliquantùm non invitam detinuit: minimè ſiquidem pertæſa moram fuerat, ut primum illibatæ Famæ florem, immortalibus Divi NEPOMUCENI laureis conſecraret; & ab incorrupta Illius lingua, felix ſumeret exordium linguarum; nè deinceps interprete uteretur, ſed velut apes ab Hymetti flore, ab ejus ore, ſi roſas funderet, Imperium; ſi lilia loqueretur, Gallia penderet; & ut vocalior rediret in Patriam, quàm receſſerit. Adjeciſtis, Equites Poloni, Herois GODZIEMBÆ genuina propago, linguarum peritiæ, bellicarum virtutum notitiam; nè ullum Vos ſtratagema lateret, quo aut à callido falli hoſte, aut illum circumvenire poſſitis. Qua dexteritate enſem ſtringere? quâ prudentiâ in adverſas phalanges cum equitatu invehi? qua agilitate inter cuneos militares opportunè rotare, cohibere, aut laxare equorum fræna? inter egregias animi Veſtri curas repoſuiſtis. Iſtud eſt minimè à vera gloria devium ad exteros iter, quo currere poſſet Mars ad laureas, Hercules ad victorias: infanda declinare otia, non deflectere ad vitia, non impingere in offendicula, inſiſtere recto tramiti; tendere per laborioſos conatus, ad peregrina, ſed egregia facinora, & tandem efficere domeſtica. Hac Vos Appia, Illuſtriſſimi DOMI-

Pragæ animum intenderunt peritiæ linguarum, & artibus militaribus.

MINI, Pragâ Viennam ad Augustissimi CAROLI deduxit Majestatem; & placuit Imperatoriæ Aquilæ, non degeneres RADIVILIANÆ alitis natos, soli suo admovere: Cæsar osculo Vestro præbuit dexteram, cor RADIVILIANÆ Stirpi addictum ostendit AUGUSTISSIMA. Sed irritâstis tantùm admiratione præcellsæ Indolis, non satiâstis exteri Orbis amores; ubique relictô Vestri desideriô. Festinâstis ab una Serenitate, ad aliam, ex Imperio, in Gallias transvolantes: usque ad Regis, & Reginæ conspectum; ut constet, congenitum Vobis esse jubar, nec uspiam alibi versari posse DÆMBSCIOS, quàm in splendore publico, ad soles Regnorum. Inter Sanguinis Principes, Duces, & Comites Franciæ, assidentium Regiæ mensæ Majestatum, gemini Ephestiones adstitistis, alter Regis, Reginæ alter curulibus; ut familiari inter epulas alloquio, Atticis dulciore bellariis, suum gustum, & Vestrum explerent Serenissima Galliarum Numina. O quanta Vos in illa tunc Regia, lux circumfulsit! Hi admiratione defixi stabant, curiosi gloriæ Vestræ scrutatores: illi censebant Pares, aut propinquos Regibus, & Reginæ suæ Polono sanguine junctos; singuli ex cultissimo genio, & florentissimis moribus collegerunt, etiam extra Gallias posse nasci Equites Liliatos. Ubi verò judicium illud formavit Francia, etiam sub Lechico Aquilone, gratias omnes, suavissimis animis, lenes inspirare Zephyros; immensô Hollandiæ Oceano vela dedistis: ut hìc, inter fulgura bellorum natos GODZIEMBIADAS, gemmas esse agnosceret. Ex Hollandia, Angliam

Indè Viennam, tum in Gallias profecti.

Hollandiam & Angliam peragrârunt.

adiiſtis; Londini tamen, more cryſtalli, exteram lucem rejeciſtis ab animo Catholico; neque fulgore Britannici ſolii irradiari expetebatis, cui priſca occidit Religio. Reduces tandem excepit Saxonia, celeberrimo Exercituum AUGUSTI II. Regis Poloniarum, pacatóque inter ſe conflictu; quaſi Veſtris præluderet victoriis, quibus Bellonâ progenitos, ſervat Vos Reſpublica. Læto vultu, regreſſum Veſtrum, planè ùt magnorum Siderum ad ortus ſuos reditum, illuſtrato extero Orbe, vidit Patria; quæ ut in adventu Veſtro propalam lætaretur, gloriæ virtutúmque ſplendor, quo regna ſerenâſtis, atque inſignis rerum peritia, quam ex terrarum maríſque Provinciis, radio ampliſſimæ mentis, laudatiſſimè attraxiſtis, præſtitêre. Alii ex luſtratis tot Urbibus, ſolam barbariem; ab extero mari, vitiorum monſtra; ab alieno ſolo, labem, magnis impendiis ad proprios Penates revehunt: quaſi aut mitior eſſet contagio, quia trajectitia; aut pulchrior macula, quia Lutetiis Pariſiorum advecta; aut pretioſiora ſcelera, quia peregrina, ſuccincta, palliata. Vos nihil ex perſpectis tot florentiſſimis Civitatibus, niſì omnem civilitatem, & popularitatem apud Principes; ex peregrina gleba niſì morum culturam; ex Galliis, niſì vitæ candorem, liliis ſupparem; ex vaſtiſſimo Imperio, niſì vaſtiorem animum reduxiſtis; & mutato habitu, non immutâſtis DAMBSCIANUM amorem erga Rempublicam, reduces, de illa conſtanter meriti. Peragrato orbe promoviſtis ultrà plantam, ad ampliorem rectè factorum gloriam; feſtinâſtis

Per Saxoniam reduces in Patriam.

Ad Regni Comitia generalia Legati.

ſtis Grodnam, properâſtis Varſaviam, ut magno publici commodo, Legatorum munus perageretis. Jam in illo Regni theatro, quanti pro ſalute omnium ſuſcepti labores? qui in purpuratorum Patrum Corona, pro communi felicitate, eliquati ſudores? gemmas fronte, & ore profudiſtis; ut in pretio haberentur conſilia, ut in ſuæ etiam ætatis flore, non aliter æſtimarentur DAMBSCII, quàm Patres Patriæ. Nec poterat aliter, quàm in roſas, ſenatorio murici concolores, Eloquentia Veſtra refloreſcere; cùm Vos ipſi, ùt auroræ, primo in ortu, purpurarum flore, & Heroo GODZIEMBARUM ſanguine rubuiſtis. Hinc Te, Illuſtriſſime ANTONINE, quem exteri ſoles, ùt pupillam Martis ſuſpexêre, Polonia ſuis Heroibus præfecit; ut Patriam conſilio, & armis munires: & Te ſibi eriperent, Solonem Curules, Scipionem aut Callimachum Gradivi. Nolueras à maximis Ducibus, Majoribus Tuis, vel ad punctum deflectere, ut illorum veſtigiis properares ad laureas, quas temporibus Tuis nectebant ſæcula. Colat pacem Sarmatia, verùm ſi arma obſtreperent, panderet Tibi Bellona campum ad victorias, quem hactenus tardior naſcendi ſors denegârat. Satis interea ſit, Te jam propè Lechici Filiæ Tonantis nupſiſſe, Celſiſſimæ ANNÆ CAROLINÆ: ut avito Illius SRZENIAVÆ affluant triumphi. O quàm conſultè Vos, feliciſſimi Conjuges, ſociavit Fortuna, Virtus, & Honor! ut non ſorte, caſúque, ſed Superûm moderatione, pulchro ingentium Familiarum conſenſu, magna virtutum

Illuſtriſſimus Neo-Sponſus S. R. I. & Reipublicæ Rothmagiſter.

S2 tum

tum Veſtrarum concordia, fœdus Maritale ſtetiſſe videatur. Æquale genus, non diſſimiles animos, parem gloriam, ad thalamos ducitis; patétque non potuiſſe meliùs hunc Maritum niſì huic Conjugi, & hanc Conjugem niſì huic Marito, connubiali nexu adſtringi. Tibi, Illuſtriſſime ANTONINE, Martis clava titulos auget; Capitanealis dignitas ad Avorum Patríſque inſignia, id eſt: ad curules & faſces, viam ſternit honorariam. Tu verò Celſiſſima CAROLINA, ultra LUBOMIRIANAS purpuras, in pompa ducis triumphales glorioſiſſimi Bellatoris, Progenitoris Tui laureas, & immortalia trophæa; oſtendíſque, Magno Conjuge Te non minorem eſſe Sponſam. Cùm etiam Illuſtriſſime Conjunx videas, è virtute Tibi nupſiſſe Principem ANNAM CAROLINAM, tantò magìs amore dignam æſtimas, quòd à meritis Tuis dotes Illius non diſcrepent; Conjugibus enim nihil optabiliùs eſſe poteſt, quàm ut concordes animæ in unam mentem coaleſcant. Alii, dum Epithalamium adornant, primum elogii genus in vultûs concinna ſpecie reponunt: diúque deſudant, ut perſuadeant in formæ elegantiam Charites, in pupillas ſidera, in labra Pæſti roſas immigrâſſe; jam egregiam corporis molem, jam ſupercilii dignitatem attollunt laudibus; quaſi compta à natura facies, imago eſſet virtutis. Celſiſſimam CAROLINAM, etſi ipſa venuſtas ùt Junonem effinxerit, & mille gratiæ ANNAM exornaverint; etſi lepor omnis reſideat in ore, & frontem gemmeus nitor, Flora genas, Phœbus oculum irradiet; inter hæc tamen munificè profuſa natu-

ræ

ræ munera, laus nulla Principis Sponſæ pulchrior, nulla major gloria, quàm quòd elegantem formam venuſtiores compſerint virtutes. An non digna omnibus theatris, quæ nullo elatæ mentis fluctu impetitur, Celſiſſimæ MARITÆ demiſſio? quamvìs illam Argo Fortunæ, Ducali alti Sanguinis SRZENIAVA, ad Honores provehit: ità nimirum modeſta eſt, quaſi ignoraret ſe eſſe Principem; & nollet fronte præferre Majeſtatem, niſì illam morum comitate leniret. Mirum, quantum de CAROLINA certamen Patritii Muricis, cum illa, quæ vultum depingit, pudicitiæ purpura: & licêt utriusque radiis inardeſcat, verecundiâ, & pudore, quibus maximè Gynæcea inſigniuntur, illuſtrior apparet. Prudentiam, animi candorem, cæteráſque dotes in comitatu habet: quòd nullum magìs deceat optimi Sponſi Principem Sponſam, quàm virtutum famulitium. Æſtima Superûm favorem Illuſtriſſime ANTONINE, quòd ad vota Tua, id eſt: Tibi par Patritiis ornamentis, avitiſque opibus, par vitæ honeſtate, & gloria Familiarum, cælitus deſtinata obvenerit Conſors. Applaude ſorti Tuæ CAROLINA, quòd ad omnem probitatis normam compoſitū, quem animô refers, nacta ſis Conjugem. O felices SPONSOS! quales ſemper manſuros credimus; quos non honorum, fortunarúmque ambitio junxit, ſed mutuus Amor. At quò me Suada abripit? Multa hìc tacebo, nè, quæ in fronte panegyris exarata habes, iterum relegere cogaris: illud dicam; ubi connubiali voto Te adſtrinxeras, illico in Paterna CONSORTIS, id eſt: Ducum, & Principum LUBOMIRIORUM; in Materna Comitū de STARCHAUZEN Domo, clavas, faſces,

Laus ex Conſorte Lubomiria Principe.

ſces,

ſces,& ſceptra; Honorem,& Martem,Tibi fœderâſti. An ego nunc bellica in Legione S.C.M. KAYSERSTAIN geſta,laudata à LEOPOLDO & JOSEPHO Imperatoribus,facinora; tum arma armis Invictiſſimi LUDOVICI XIV. ſociata, & cum Hiſpanis prælia; an fuſum toties Byſtonium cruorem, Tartaricáſq; clades,innumeras penè laureas Celſiſſimi Progenitoris GEORGII, magni re & nomine ALEXANDRI LUBOMIRII, Palatini Sandomirienſis, VELT-MARESCHALCI Exercituum S.C.M. quaſi nova & inaudita memorem? aut ad calculúmne revocem omnia,quæ vetuſtiſſimi Cæſarum,Principúmque faſti recenſent,DRUSORUM coronata Nomina, Palatinarum Regni Noſtri, Caſtellanarúmq; Purpurarum hæredes, LUBOMIRIOS? Bene Illorũ meminit canus Orbis; nihil jam Ducum immortali gloriæ poterit adjici, recentis Suadæ encomio. Habetis Celſiſſimi ANTONINE & CAROLINA, felicitatem publicam obligatam Vobis, MAŁACHOVſCIANA faſciâ, in Palatina Poſnanienſi Germana Sorore Celſiſſimi Parentis Veſtri: Orbem Polonum traxiſtis in nexum ſanguinis; Reges Poloniarum in Joanne III. Duces & Principes in WISNIOVIECCIIS,RADIVILIIS,CZATORYISCIIS; prima Regni decora, in SAPIEHIS, CORVINIS, TĘCZYNSCIIS, JABŁONOVIIS, FIRLEIIS, DANIELOVICIIS, & ſexcentis aliis. O altiſſimam & firmam GODZIEMBÆ Arborem,ſylvam Honorum,ad Fortunatum SRZENIAVÆ portum protenſam, quam Superi novô in dies incremento augegeant! Mirúmne, ſi illi Capitanealis Tua dignitas, præludens Senatoriæ,Illuſtriſſime DOMINE, & Mars Lechicus ſecurè incumbat? quam Polonus Orbis intuetur florentiſſimam,& ùt ſuam tuentur Numina DODONAM. Ultimum hoc elogii folium,Stirps ILLUSTISSIMA,admitte inſeri ramis, perpetuò vernaturis.



77

INsistite marmori, arte Phidiaca clari,
JUPITER, & MINERVA
Aut Pario lapidi, Praxitelis Dii:
Non fidite tamen basi;
Si creditis? possè pati vulnera,
Et cavari guttis, saxa.
Velletis forsan firmare plantam?
In DAMBSCIANAM PINUM immigrate:
Altè radicata, excedit omne fulcrum.
Huic innixa THEMIS, manet inflexibilis;
MARS incumbens, stat immotus.
Omnem quantumvìs moveant lapidem,
Regni, & recti animi hostes:
Non convellent
Fundatas Stirpe, ac virtute DAMBSCIANA,
Astrææ Aras, Gradivique trophæa:

1010.

Victoriosa Arbor, ac mens adamantina,
Argenteas retundet hastas, & saxea tela;
Nisì in Lydios mutentur lapides,
Aurei in Patriam & Leges, Amoris,
ILLUSTRISSIMI ANTONINI.
Nulla videlicet vi labefactari valent
Inconcussa æquitas JUNOVLADISLAVIENSIS
CAPITANEI,
Infractus animus Cataphractorum Ducis.
En!
Quanta congessit Honor onera,
In unum GODZIEMBIANÆ *Propaginis Ramum,*
Clavas, Enses, & Secures Honorarias:
Ille tamen triumphalis Palmæ naturam traxit;
Armorum, & justo Judiciariæ libræ pondere,
Onustus,
Robustiùs invaluit, excrevit celsiùs.
Non hìc aurô superbiat Xerxis Platanus,
Malè suæ cavit perennitati:
Enervavit vigorem, luxus: gemmæ, furatæ robur;
Et firmum esse non potuit, quod plantavit socordia.
Demittat ergo gemmeas frondes,
Nec umbra est DAMBSCIANÆ *Plantæ!*
Hujus prima radix, tempestate præliorum solidata:
Assueta jam turbini ARBOR.
Stat sui secura, & quasi æterna;
Incursantes bellorum procellas exsibilat;
Nec fastigium nutat, quantumvìs altissimum?
Profert inter MARTIS *fulgura, & fulmina,*
Quot DAMBSCIOS, *tot Regni Uniones:*
Sed qui frangi, aut dividi nequeant,
Nisì ad redintegrandam Patriam.
Applaudente Natalibus Olympo,
Gemmeos procreat fructus,
Fortitudini, & Justitiæ, ad Coronam.
Hinc pondus, pretium, & robur habet
Domus DAMBSCIANA,
Themidis, Honoris, & Martis Regia;
Perennabit:
Quam tanta Numina incolunt.

O. A. M. D. G.

Je są nierozdzielne